UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Incitamenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonae [u.a.], 1755

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55553

Visual Library

Th. 3280

J. XIV. 67.

Æ

A,

DIA,

ET

CITAMENTA

COMMENTATIONIBUS

ILLUSTRATA,

OMNIUM USUI APTATIS.

QUÆ

SERVIRE INSUPER POTERUNT PRO ARGUMENTO CONCIONUM: UTI ET CONSIDERATIONUM TEMPORE EXERCITIORUM; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout ex subjectis hunc in finem elenchis patet.

AUCTORE

P. ALOYSIO BELLECIO

SOC. JESU S. S. THEOL. DOCTORE.

PARTES TRES.

CUM FACULTATE SUPERIORUM, ET PRIVILEGIO CÆSAREO.

RATISBONÆ, ET VIENNÆ,

SUMPTIBUS EMERICI FELICIS BADERI. 1755.

Pro Capitulo [illegible]

Titulo emptionis Sodalitatis SS. B.M.V. Majoris

J. XIV. 67.

VIRTUTIS SOLIDÆ PRÆCIPUA IMPEDIMENTA, SUBSIDIA, ET INCITAMENTA COMMENTATIONIBUS ILLUSTRATA, OMNIUM USUI APTATIS.

PARS TERTIA.

INCITAMENTA.

Quod igni flabella, id cordi INCITAMENTA ſunt, quibus ad virtutem animamur. Sicut illa flammas excitant, ita hæc ardorem inſpirant illuc eluctandi, quò incitamur. *S. Franc. Borgias in monitis ſpiritualibus.*

AD

LECTOREM.

OB eandem rationem, ob quam ſecundæ parti elenchum exercitationum pro ſacri tridui ſecunda die præmiſi, etiam ultimæ huic parti ſimilem catalogum pro tertia ejusmodi collectionis die præfigo; ne nempe Lector moleſto labore ad uni-

verſalem totius operis indicem recurrere cogatur; præcipuè cùm functiones omnes die tertia obeundæ in ultima hac parte contineantur. Cúmque etiam conſiderationes, pro primo exercitiorum curſu aſſignatæ, omnes præſenti hoc volumine comprehendantur, earum quoque ordinem, ut legentium commoditati conſulerem, ſeorſum hìc apponendum cenſui.

Cæterum ſi ullibi, certè tertia hac parte, utpote cujus commentationes aliis nonnihil longiores ſunt, obſervandum erit id, quod aliàs jam monui, ut ſcilicet ſtrictim illæ ſolùm materiæ aſſumantur perpendendæ, quæ pro quavis pii ejusmodi

di ſeceſſûs exercitatione ſingillatim determinantur. Quodſi eæ etiam ſic contractæ, tamen adhuc alicui prolixiores fuerint viſæ, quàm ut deſignato pro his functionibus tempore ſperato cum fructu expendi queant, is ſolùm uni aut alteri numero, vel numeri puncto rite ponderando immoretur. Hac enim ratione rerum copia nec tædium pariet, nec fructum minuet.

INDEX
PARTIS TERTIÆ.
DE PRÆCIPUIS
INCITAMENTIS
PERFICIENDÆ VIRTUTIS.

CAP. I. DE fide viva excellentiæ virtutis ſolidæ. Pag. 3

§. I. Excellentia virtutis eſt ſumma. - - 4

§. II. Diſcrepantia hujus fidei à vita noſtra eſt enormis. - - 25

§. III. Hujus morbi cauſæ & remedia. - 44

CAP. II.

CAP. II. De timore malorum aliàs incurrendorum, nisi acquirendæ virtuti solidæ studeamus. - Pag. 64

Hæc præcipuè duo sunt, nempe

§. I. Rigor reddendæ rationis, - - 65

§. II. Periculum perdendæ salutis. - 84

§. III. Industriæ illum mitigandi; hoc verò cavendi. - 106

CAP. III. De spe bonorum per virtutem solidam acquirendorum. - 119

Nam solùm homines ejus studiosi

§. I. Vivunt beatè, - - 120

§. II. Moriuntur placidè. - 150

§. III. De opposito spei vitio, seu de perfectionis desperatione. - - 193

CAP. IV. De amore DEI - Pag. 222
Virtutem ſolidam à nobis
§. I. Exigentis, - 223
§. II. Et merentis. - 250
§. III. Indicia amoris divini & proprii. - 284
CAP. V. De felicitate ſolidè piorum poſt mortem. - 333
Hæc ſumma eſt
§. I. Ob beatitudinis plenitudinem, - 334
§. II. Ob æternitatis certitudinem. - 360
§. III. Concluſiones inde deducendæ. - 374
CAP. IV. De perſeverantia. - 404
§. I. Conſtantiæ decora. - 405
§. II. Inconſtantiæ diſpendia. - - - 414
§. III. Hujus remedia. - 429

)o(

ELEN-

ELENCHUS EXERCITATIONUM

PRO TERTIA DIE PRIMI SACRÆ COLLECTIONIS TRIDUI.

Meditatio I. DE rigore reddendæ rationis, nisi virtutem sectemur. *Part. III. Cap. II. §. I. Num. III. & IV.* pag. 78. & 81.

Thom. Kemp. l. 3. c. 14.

Lectio antemeridiana. De eodem argumento. *Part. III. Cap. II. §. I. Num. I. & II.* à pag. 65. usque ad pag. 78. *Item §. II. Num. I.* à pag. 84. usque ad pag. 98.

Examen statûs. De industriis mitigandi hunc rigorem. *Part. III. Cap. II. §. III. Num. I. & II.* pag. 107. & 115.

Consideratio. De periculo salutis, nî fiamus sancti. *Part. III. Cap. II. §. II. Num. II.* pag. 98.

Meditatio II. De securitate solidè piorum in morte. *Part. III. Cap. III. §. II. Num. I.* pag. 150.
Thom. Kemp. l. 3. c. 47.

Lectio pomeridiana. De beatitate solidè piorum in vita. *Part. III. Cap. III. §. I. Num. I. & II.* pag. 120. & 130.

POSTRIDIE.

Meditatio. DE perseverantia in bene cœptis. *Part. III. Cap. VI. §. I. Num. I. & II.* pag. 405. & 406.
Thom. Kemp. l. 3. c. 33.

Lectio spiritualis. De inconstantiæ damnis. *Part. III. Cap. VI. §. II.* pag. 414.

ELEN-

ELENCHUS EXERCITATIONUM

PRO TERTIA DIE SECUNDI SACRÆ COLLECTIONIS TRIDUI.

Meditatio I. DE amore Christi erga nos. *Part. III. Cap. IV. §. II. Num. II.* pag. 267.

Thom. Kemp. l. 4. c. 8.

Lectio antemeridiana. De obligatione tendendi ad perfectionem. *Part. III. Cap. IV. §. I. Num. I. & II.* pag. 223. & 236.

Examen statûs. De indiciis divini amoris. *Part. III. Cap. IV. §. III. Num. I.* pag. 286.

Consideratio. De amore DEI erga nos. *Part. III. Cap. IV. §. II. Num. I.* à pag. 258. usque ad pag. 267.

Medi-

Meditatio II. De nostri erga DEUM amoris nihilo. *Part. III. Cap. IV. §. II. Num. III.* pag. 276.

Thom. Kemp. l. 3. c. 27.

Lectio pomeridiana. De signis amoris proprii. *Part. III. Cap. IV. §. III. Num. II.* à pag. 319. usque ad pag. 332.

POSTRIDIE.

Meditatio. DE perseverantiæ emolumentis. *Part. III. Cap. VI. §. I. Num. III. & IV.* pag. 410. & 412.

Thom. Kemp. l. 1. c. 25. usque ad N. 7.

Lectio spiritualis. De remediis inconstantiæ. *Part. III. Cap. VI. §. III.* pag. 429.

ELEN-

ELENCHUS CONSIDERATIONUM PRO PRIMO OCTIDUO SACRORUM EXERCITIORUM.

I. Die. DE neglectu virtutis. *Part.* III. *Cap.* I. *§.* II. *Num.* I. à pag. 25. usque ad pag. 37.

II. De morte. *Part.* III. *Cap.* III. *§.* II. *Num.* II. à pag. 160. usque ad pag. 171.

III. De judicio & purgatorio. *Part.* III. *Cap.* III. *§.* II. *Num.* III. à pag. 182. usque ad pag. 193.

IV. De exemplo Christi. *Part.* III. *Cap.* I. *§.* I. *Num.* II. pag. 17.

V. De discrepantia fidei nostræ cum vita nostra. *Part.* III. *Cap.* I. *§.* II. *Num.* II. pag. 37.

VI. De imitatione Christi. *Part.* III. *Cap.* IV. *§.* I. *Num.* II. pag. 236.

VII. Die. De passione Christi. *Part.* III. *Cap.* IV. *§.* II. *Num.* II. pag. 267.

VIII. De benefico amore DEI erga nos. *Part.* III. *Cap.* IV. *§.* II. *Num.* I. à pag. 250. usque ad pag. 258.

Syllabus considerationum pro secundo & tertio octiduo, cùm eæ ex omnibus partibus excerptæ sint, ad initium primi voluminis habetur.

PARS III.

PARS III.

VIRTUTIS PERFICIENDÆ PRÆCIPUA INCITAMENTA.

POstquam primaria virtutis ſolidæ IMPEDIMENTA in prima hujus Operis parte è via ſuſtulimus, & in altera parte aptiora illius ſolidandæ ADJUMENTA in apricum protulimus; reſtat, ut tertia hac parte efficaciora ejus perficiendæ IN-

CITAMENTA in medium afferamus. Inter quæ ſequentia principatum ſibi vendicare videntur, ſcilicet fides de excellentia perfectionis : timor malorum aliàs incurrendorum : ſpes bonorum per illam obtinendorum : amor DEI hanc ſoliditatem à nobis exigentis, & merentis : denique ſolidè piorum felicitas, ac perſeverantium corona. Quàm potentia autem hæc incitamenta ſint, genuinam probitatem toto niſu ſectandi, ſupervacaneum foret, pluribus hìc explicare; cùm vel ſolæ capitum inſcriptiones id abunde loquantur. Qua verò ratione hæc ultima pars viæ, ùt ajunt, unitivæ reſpondeat, ad ejus calcem docebimur.

CAP. I.

CAPUT I.

FIDES VIVA

DE EXCELLENTIA VIRTUTIS SOLIDÆ.

QUi virtutum ſolidarum excelſitatem fide viva apprehenderit, hancque dein facta comparatione cum ſuis moribus contulerit, is aut emotæ mentis aut projectæ ſit oportet, ſi ad hos corrigendos; illas verò procurandas ſe impelli non ſenſerit. Ex quo patet, efficaciſſimum illam virtutis perficiendæ incitamentum eſſe. Cúmque præterea hæc fides ex mente S. S. Patrum (a) fundamentum perfectionis ac præcipuum ejus

(a) *Fides virtutum omnium ſtabile fundamentum eſt.* Ambroſ. in Pſal. 40. *Fides eſt origo juſtitiæ, ſanctitatis caput; unde omnis perfectio ſumit initium.* Auguſt. Serm. 137. de tempore.

acquirendæ inſtrumentum ſit, meritò illa in fronte illius agminis collocatur, quod ad expugnandam hac in re, profligandamque voluntatis inertiam in aciem educimus. Itaque ob oculos ponam I. virtutis ſolidæ eminentem excellentiam; II. hujus fidei cum vita noſtra enormem diſcrepantiam.

§. I.

Virtutis ſolidæ eminens excellentia eſt.

I. *Summam hanc eſſe probat judicium DEI.*

I. Cùm res mihi cum Chriſtianis ſit, qui cernuo aſſenſu ultro fatentur, Supremum Numen ob infinitam omnium perfectiſſimamque notitiam errare, aut decipi neutiquam poſſe; certior à me regula, qua virtutis ſolidæ eminentiam dimetiamur, aſſignari nequit quàm hoc ipſum falli neſcium adorandæ Divinitatis judicium. Cùm enim teſte Pſalmographo *judicia Domini vera*, ipſaque *æquitas* ſint, (b) tanti res neceſſariò valet, quanti Æterna Sapientiſſimaque illa Mens

(b) Pſal. 18. v. 10. & Pſal. 118. v. 75.

Mens eandem valere judicat. Quod illa aliis omnibus præfert, id evidenter cunctis dotibus est anteferendum: quod ea primo loco reponit, id certò excellentissimum est. Ex his sequitur, perfectionem Christianam illud in æstimatione humana fastigium mereri, non quod insaniens mundus eidem delirando tribuit, sed ad quod illa Divini Senatûs consulto jure sublimatur. Ad hoc inconcussæ veritatis scutum quis nisi pertinax Atheus dissentiens caput allidat?

Jacto proin hoc fundamento, attenti jam ex Sacro Codice percipiamus, quænam igitur falli nescius ac omnia pervidens DEUS de probitatis excellentia foveat sensa? ut inde hujus pretium agnoscere, dignitatem æstimare, pulchritudinem diligere, aliisque omnibus præhabere discamus. Itaque ô *terra, terra, terra, quæ juxta intuitum hominum judicas*, (c) *audi sermonem Domini!* en! *hæc dicit Dominus* (d) per Salomonem: *melior est*

(c) 1. Reg. 16. v. 7. (d) Jerem. 22. v. 29.

acquisitio ejus (scilicet sapientiæ ; hoc enim nomine ab eo vera pietas insignitur) *negotiatione argenti , & auri : pretiosior est cunctis opibus : & omnia , quæ desiderantur , huic non valent comparari. Lignum vitæ est his , qui apprehendunt eam : & qui tenuerit eam , beatus ;* (e) *infinitus enim est thesaurus hominibus.* (f) hæc ille. Jam verò si ita est, ergo (sequelæ firmitatem expendite) ergo *omne aurum in comparatione illius arena est exigua , & tanquam lutum æstimandum est argentum in conspectu illius.* Ergo *regnis & sedibus est præponenda : & divitiæ nihil ducendæ sunt in comparatione illius : nec lapis pretiosus illi est comparandus.* (g) Divinis hisce oraculis quis contradicat ? tam legitimæ conclusionis quis evidentiam inficietur ?

Præterea *hæc dicit Dominus* per Jeremiam Prophetam : *non glorietur sapiens in sapientia sua , & non glorietur fortis in fortitudine sua , & non glorietur*

(e) Prov. 3. v. 14. & 18. (f) Sap. 7. v. 14. (g) Sap. 7. v. 8. & 9.

tur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me. (h) Ergo practica sui Deique notitia, in qua virtus posita est, omnibus mundi thesauris, cunctis heroum viribus, omni regum potentiæ, carnis prudentiæ profanæque doctrinæ ingenti intervallo est anteferenda; utpote quæ sola suppeditat genuinæ materiam gloriæ. Quis sanæ mentis id neget? quis affirmanti hæc Spiritui Sancto pervicaci dissensu refragetur?

Quin imò (moderante linguam Numine) rem ampliùs exaggerat Gentium Doctor Paulus, hæc ad Corinthios scribens: *si linguis hominum loquar & angelorum: & si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam: & si habuero fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem* (quæ perfectionis initium primusque gradus est) *non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest: factus sum velut æs sonans, & cymbalum tinniens.* (i)

(h) Jerem. 9. v. 23. (i) 1. Cor. 13. v. 1. & seq.

hæc Apoſtolus. Jam verò ſi donum vaticinationum, linguarum, miraculorum, infuſaque omnium intelligentia, quæ tamen opinione noſtra bonorum præſtantiſſima ſunt, cœli judicio nihil ſunt, collata vel minimo gratiæ immanentis gradui, qui tamen genuinæ probitatis non niſi principium eſt; quid erunt reliquæ naturales prærogativæ, compoſitæ innumeris gratiæ ejusdem gradibus, quos in anima virtus perfecta ſupponit? Et his auditis reperire ſit aliquem, qui hæſitanti animo dubitare, vel omnino inficias ire auſit, omnes naturæ, fortunæ, ingeniique decora ac ornamenta pietati ſolidæ immenſa intercapedine poſthabenda, ducendaque poſterius eſſe?

Abſit tanta intellectûs pervicacia, tamque amens voluntatis protervia. Cœlum intonuit: ergo paveat terra. Veritas locuta eſt: ergo ſileat error. Loquentis infinita majeſtas cæcam exigit fidem. Taceat proin mundus, cedat ratio, pereat *ſapientia ſeculi*, (1) &

(1) 1. Cor. 2. v. 6.

& cœlesti effato subdola obgannire desistat. Excellens est sanctitatis præstantia: id dicit DEUS. Huic comparatæ dotes reliquæ nihilô minus sunt: id asserit DEUS; & quidem Sapientissimus æquè ac verax DEus. Ergo talem eam esse, qualem judicat DEUS, cernuo assensu *omnis lingua confiteatur cœlestium, terrestrium & infernorum.* (m) Certè si nullum alium suppeteret argumentum, hoc dogma nobis virtutisque eminentiam persuadendi, sufficeret sola hæc certissimi Numinis id attestantis authoritas, & divinum de ea judicium, omni humano infinitè præhabendum.

At verò suam hanc de sanctitudinis sublimitate existimationem Supremus Moderator orbis non tantùm verbis prodidit, sed etiam factis iisque plurimis demonstravit. Solùm aliqua ex his delibasse sufficiat. Agite! mentis oculos in hoc Universi theatrum defigamus, in eoque intueamur hìc Salomonem & Jobum: ibi Epulonem

(m) Eph. 2. v. 10. & 11.

& Lazarum: illinc Herodem & Joannem. ô quanta in his paribus disparitas! ô quàm discrepans in cœlo de iis opinio! *Salomon magnificatus est super omnes reges terræ divitiis & sapientia;* (n) contrà verò *Job, percussus ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus, testa saniem radebat, sedens in sterquilinio.* (o) Dives Epulo *induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè;* contrà verò *mendicus Lazarus jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis.* (p) *Herodes vestitus veste regia, & sedens pro tribunali, audivit populum sibi acclamantem: DEI voces & non hominis;* (q) contrà verò *Joannem, qui venit neque manducans, neque bibens,* (r) *tenuit, alligavit, & decollavit in carcere.* (s) ô quanta hæc differentia!

Illi summa habilitate ornati, potentia suffulti, opibusque ditati, velut toti-

(n) 3. Reg. 10. v. 23. (o) Job. 2. v. 7. & 8. (p) Luc. 16. v. 19. & seq. (q) Act. 12. v. 21. & seq. (r) Matth. 11. v. 19. (s) Matth. 14. v. 3. & 11.

totidem ſoles in omnium oculis ſublimes ſplendebant. Hi verò, licèt ſanctitate præſtantes, tamen cunctis deſpecti, pauperes, miſeri, ſortis erant orbisque ludibrium. Hominum ſenſa ſi attendamus, nihil illis grandius: his abjectius nihil. Salomonis Sapientia, Epulonis abundantia, Herodis gloria, eorum ſententiâ meritò adulanti errore ſuper aſtra ferebantur. Contrà verò patientia Jobi, tolerantia Lazari, conſtantia Joannis jure infra lutum ſuperbo calce deprimebatur. Hæc mundi de poſteriorum virtute, & priorum naturalibus donis opinio fuerat.

At verò ô! quàm aliter de his ſenſerat DEUS. Audite ô mortales! divinumque de his judicium proni adorate. En! in illa cœleſti curia Salomon malus, (t) Epulo ſtultus, (u) Herodes verò vulpes audiit: (x) ille à DEO abjectus, (y) iſte *in inferno ſepultus*, (z) hic *conſumptus à vermibus*

(t) 3. Reg. 11. v. 4. (u) Luc. 12. v. 20. (x) Luc. 13. v. 32. (y) 3. Reg. 11. v. 11. (z) Luc. 16. v. 22.

bus exſpiravit: (aa) omnes tres cum ſua omni facundia, majeſtate, opulentia, rerumque notitia minimi in regno cœlorum, imò nulli habebantur. Contrà verò Job *homo ſimplex & rectus:* (bb) Lazarus angelorum ocellus; (cc) Joannes *major inter natos mulierum, & plus quàm Propheta* (dd) æquiſſimo rerum Judici erat. Illi *benedixit Dominus:* (ee) iſte *in ſinum Abrahæ* eſt deportatus: (ff) hic martyrii corona redimitus. (gg) Omnes tres cum ſuis ulceribus, egeſtate, vinculis & ærumnis in oculis S. S. Triadis *fulgebant quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* (hh) Nempe *quantum diſtat Ortus ab Occidente:* (ii) *quantum differt lux à tenebris;* (ll) tantum judicio Numinis ſolida virtus ſuper omnia naturæ decora, fortunæ bona, mentisque ornamenta exſtat, eminet, excellitque.

Conii-

(aa) Act. 12. v. 23. (bb) Job. 1. v. 8. (cc) Luc. 16. v. 22. (dd) Matth. 11. v. 9. & 11. (ee) Job. 42. v. 12. (ff) Luc. 16. v. 22. (gg) Marc. 6. v. 29. (hh) Dan. 12. v. 3. (ii) Pſal. 102. v. 12. (ll) Ecclæ. 2. v. 13.

Coniice in unum eundemque hominem omnem Solonis prudentiam, Aristotelis philosophiam, mathesin Euclidis, Ciceronis rhetoricam. Finge eundem aulicarum artium mundique dogmatum apprimè peritum, omni ad omnia habilitate supremo gradu excellere; atque ex inverso Amaltheæ cornu, opes & honores, peda & mytras, sceptra & coronas largiter in eundem divite pluvia effundi; nihilominus probitate si careat, in conspectu Domini est *miser & miserabilis, & pauper & cæcus, & nudus.* (mm) Contrà verò, licèt cum Moyse balbus, cum Tobia cæcus, cum Ignatio claudus, cum Hermanno paralyticus fores: licèt cum Francisco pauper, cum Isidoro ignobilis, cum Wendelino literarum rudis esses; pietate si polleas, in illa curia aurum, gemma, sidus es: amicus Christi, filius DEI, hæres cœli es. Sola hæc gratum te Numini acceptumque reddit: sola hæc illa clavis aurea est, qua animæ ad intimum Sponsi conclave janua panditur.

Hujus

(mm) Apoc. 3. v. 17.

Hujus veritatis luculentum nobis documentum Lucifer est. Is teste Ezechiele (nn) *signaculum similitudinis, plenus sapientia & perfectus decore in deliciis paradisi fuerat: omnis lapis pretiosus operimentum ejus: aurum erat opus decoris ejus: Cherub extentus, & positus in monte sancto, in medio lapidum ignitorum* is fuerat. Et tamen vix sanctitatem superbo ausu à se abiecerat; cùm mox *rudentibus inferni* è cœlo *detractus, in tartarum traditus est*, æternùm *cruciandus*. (oo) Omnis ejus intelligentia, decor, habilitas ac naturalis perfectio vindex justitiæ fulmen nec momento morari poterant. Quin imò cum omnibus suis naturæ dotibus miser modò & vilis diabolus est; quas DEUS etiam rebelli & damnato reliquit, ut orbi palam faceret, quàm nihili hæc omnia (sanctitudine viduata si sint) à Divino Senatu fiant. Et hinc illa non rarò prodigè conferuntur etiam *reversis ad vomitum canibus*, etiam *suibus in volutabro luti:* (pp) id est

(nn) Ezech. 28. v. 12. & seq. (oo) 2. Petr. 2. v. 4. (pp) Ibid. v. 22.

eſt hominibus, qui vivunt *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.* (qq) ut inde diſcamus, quàm nullius momenti in lance Sanctuarii hæc omnia ſint, niſi ſocia virtus eis pondus addiderit. ut intelligamus, quàm magna intercapedine genuina probitas hæc additamenta excedat; & quàm vera ſit illa Thomæ à Kempis ſententia: *melior eſt humilis ruſticus, qui DEO ſervit, quàm ſuperbus Philoſophus, qui ſe neglecto curſum cœli conſiderat.* (rr)

O! igitur *quis mihi det, ut exarentur ſtilo ferreo, & plumbi lamina ſculpantur in ſilice* (ss) cordis noſtri gemmea illa Sacræ Paginæ verba: *quod hominibus altum eſt, abominatio eſt apud DEUM.* (tt) item: *ſapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud DEUM.* (uu) O ſenſa cedro digna! quia ex illo volumine excerpta, quod Apocalypticus Vates *ſeptem ſigillis ſignatum vidit.* (xx) Aures proin arrigite, quicunque ſanctimo-

(qq) Pſal. 31. v. 9. (rr) l. 1. c. 2. n. 1. (ss) Job. 19. v. 23. & 24. (tt) Luc. 16. v. 15. (uu) 1. Cor. 4. v. 19. (xx) Apoc. 5. v. 1.

ctimoniæ excelſitatem terreſtri decempeda metimini, & profundè animis cœleſte hoc oraculum immittite. En! quod vobis altum, grande & excellens eſt, id apud DEUM non ſolùm vile, modicum, nihil: ſed *abominatio*, ſed *ſtultitia eſt*. Ita eſt, ô inanes vanitatum aucupes! apud DEUM opum jactantia abominatio eſt: vana nominis gloria abominatio eſt: ſuperba rerum notitia abominatio eſt: aulica calliditas, mundana dexteritas, aſtuta inſinuandi ſe, magnificandique peritia eidem ſtultitia eſt. Sola probitas acceptum ei ſacrificium eſt. Solùm illi ſunt *beati*, *qui mundo corde*, *pauperes ſpiritu*, *mites*, *pacifici*, *miſericordes eſuriunt*, *& ſitiunt juſtitiam*. (yy) Quod probroſum nobis, abjectum, & miſerum eſt, id æternæ Mentis decreto glorioſum, felix, eminens eſt. Et hoc fidei dogma eſt, cui æquè parum refragari, ac Trinitatis myſterium inficiari licet. Ad hæc jam quis animo ſenſus?

O *Do-*

(yy) Matth. 5. v. 3. & ſeq.

O *Domine! magnificus in sanctitate*, (zz) ah! quis alius mihi quàm pudoris erit, & timoris? pudoris ob culpam: timoris ob pœnam. Si enim hæc non credidero, hæreticus sum, fidei Quæsitoribus extradendus; si verò credidero, nec tamen veriora de virtutis sublimitate sensero, amentis proterviæ reus sum, injectis meritò vinculis castigandus. Ut ergo utrumque propitio sidere avertas malum, da, ut tuo huic de sanctitudine judicio famula fide submittam meum.

II. Præterea eminentem pietatis excellentiam esse, ipse Christus vitæ exemplo demonstrat. Ideo enim in stabulo nasci, in latebris vivere, in furcam agi, & mori atroces inter cruciatus voluit, ut nos solidam virtutem omnibus aliis naturalibus donis anteferre doceret. Nam certum est, æternum Patrem omnia naturæ ornamenta in Servatorem nostrum plena manu congessisse; huncque omnes angelos & mortales collectim sumptos perspi- II. *Exemplum Christi.*

(zz) Exod. 15. v. 11.

cacia, habilitate, ingenio & ſapientia immenſùm ſuperaſſe. Quis ergo non judicaſſet, eundem initio ſtatim ſui in mundum adventûs virili ſtatura præditum, orbis athenæa, marium emporia, judicum tribunalia, principumque palatia conſtanti gyro luſtraturum, ut diffuſis ibidem ſcientiarum & facundiæ, æquitatis & prudentiæ radiis errores depelleret, mores corrigeret, jus induceret, ſceluſque profligaret; ut hac ratione novi Meſſiæ nomen (tubam inflante fama) per omnes latè oras laudum encomiis celebraretur.

Et en! non ſolùm infans in medio brutorum, in caulæ latibulo, aëris inclementiæ expoſitus, omnium egens, extra patriam naſcitur; ſed etiam adultior in humili officina potiorem vitæ partem ignotus, vilis, abjectus deliteſcit: fabri filius fabrilia tractat, & domûs pauperculæ aſſiduus cuſtos eſt & ſervus, *obediente DEO voci hominis:* (aaa) *& erat ſubditus illis.* (bbb) O por-

(aaa) Joſue 10. v. 14. (bbb) Luc. 2. v. 51.

portentum, ipsis etiam Cœlitibus obstupescendum! Verbum vagit, Sapientia balbutit, Fortitudo *primam vocem similem omnibus emittit, plorans.* (ccc) Illæ orbis creatrices manus pavimentum verrunt, scutellas lavant, segmenta colligunt. Ille, *qui appendit tribus digitis molem terræ, & librat montes & colles in statera*, (ddd) ligna dolat, secat, glutinat.

O Superi! illud eloquentiæ miraculum elingue silet: illa artium cyclopædia tenebris sepulta jacet: illi scientiæ linguarumque thesauri altè defossi latent; & quidem tot lustris, triginta omnino annis defossi latent. Hæcque omnia ideo agit missus è cœlo Magister, ut majorem nobis de perfectionis excellentia æstimationem instillaret: ut falsam illam nobis ideam eximeret, quam de collatis à natura donis cum virtutis præjudicio fovemus: ut suo nos exemplo doceret, omnem nominis existimationem, omnem talentorum jactantiam, ac pedisequas

(ccc) Sap. 7. v. 3. (ddd) Isa. 40. v. 12.

commoditates minimo pietatis actui, qui clam omnibus in orbis angulo à pia quapiam anima exercetur, ingenti intervallo posthabendas esse.

Et certè qui post practicam ejusmodi lectionem & exemplar tam vivum tamen adhuc ob nativas dotes suspici, aliisque præferri exoptat; qui istas inanitates magni facit, & præ sanctitate miratur, expetit, & prensat; is enimvero vel non credit, Christum ista egisse: vel malè eum hæc egisse judicat. Nam fateri, eundem hæc bene sanctéque fecisse, & quidem, ut nos illum imitaremur, fecisse; hæc, inquam, palam profiteri, & tamen adhuc virtuti solidæ ante reliquas naturales prærogativas principatum negare; quin & despectui eam, vel saltem neglectui habere; id profectò insignis dementiæ & dementis malitiæ indicium est.

Verùm ut de hac veritate ampliùs convincamur, oculos in Calvariæ clivum conjiciamus; & postquam ibidem

dem illud mare dolorum, illos profusi sanguinis rivos, illam plagarum copiam ac atrocitatem meditatè contemplati sumus, in finem inquiramus, ob quem unigena DEI Filius tot inter vulnera & ignominias, tribus clavis suffixus, duos inter latrones medius exspirare voluerit? Ah! respondet Apostolus, ad Titum scribens: *dedit semetipsum pro nobis, ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* (eee) Ita est, reponunt *amarè flentes angeli pacis:* (fff) tam immania insons passus est, non ut homines divitiis, honoribus, commodis cumularet: non ut eos naturæ dotibus ditaret: non ut facundiæ fama, acuminis acie, doctrinæ eminentia ac mira habilitate exornaret; sed ut genuinam probitatem, mundi contemptum, & ærumnarum amorem eis commendaret, imprimeret, & inculcaret: ut mortales vel unicum etiam minimum cœleste donum cunctis naturalibus ornamentis, unum in cumulum conjectis, nil hæsitando discerent anteferre.

(eee) Tit. 2. v. 12. & 14. (fff) Isa. 33. v. 7.

Hìc ergo jam adeſte, quicunque *dicitis malum bonum, & dulce in amarum ponitis:* (ggg) qui ſpuria vanitatum luce excæcati, ejusmodi ſortis ac animi decora lunato poplite adoratis; hìc, inquam, adeſte, & hac crucis menſura veræ pietatis ſuper terrena hæc excelſitatem metimini. Audite Divinum Servatorem infami è ſtipite penſilem morienti voce nobis inclamantem: *diſcite à me, non mundum fabricare, non cuncta viſibilia & inviſibilia creare, non in ipſo mundo mirabilia facere, & mortuos ſuſcitare; ſed quoniam mitis ſum, & humilis corde;* (hhh) ſed diſcite à me veram ſolidamque virtutem, quam ut vos docerem, tot cruciatus & injurias pertuli, ſanguinem omnem vitamque profudi. en! *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* (iii)

Ex his modò quid concludam, percipite. Ergo vel Chriſtus ineptum egit mercatorem pro re, noſtra opinione

(ggg) Iſa. 5. v. 20. (hhh) Auguſt. Serm. 10. de Verbis Domini. (iii) Joan. 13. v. 15.

nione, tam vili rem infinitè pretiosam, cruorem scilicet & animam, expendendo: vel perfectio omnino magnum, præstans, excellens, & reliquis rebus creatis eminenter sublimius bonum est. Ergo cùm mundus oppositum asserat, alterutrum decipi necessarium est. Ita est: aut Christum, aut mundum falli manifestum est. Christum hallucinari Divinitas vetat. Ergo mundum errare ratio dictat. Conclusio evidens est. Ergo vel stulti sumus, hoc Christi exemplum adorando: vel impii, huic contraria sentiendo. Age jam ô anima! ad crucis pedem hìc stans delibera, hasque consecutiones, amoto glaucomate, prudens expende. Nam argumenti vis clara, vehemens, & efficax est. Aut huic quid oppones?

O mi JEsu! quid opponam? evidentia rei vel ab invito assensum extorquet. Errat enimvero, ah! errat, & toto cœlo aberrat hominum mendax de sanctitate judicium. Ah! nil magnum, nil altum, nil pretio dig-

num, nisi quod tale est apud DEUM. Numinis *judicium*, tuumque *exemplum* gemina sunt fundamenta, quibus incomprehensa perfectionis sublimitas luculenter demonstratur. Credo proin, summam esse virtutis solidæ excellentiam, eamque omnia ingenii & fortunæ dona eminenti intervallo superare. Credo minimam illustrationem supernam profanas omnes scientias, unicum pietatis actum naturales cunctas dotes, tenuem gratiæ radium omnes orbis thesauros, infimum gloriæ gradum omnes mundi honores ingenti intercapedine vincere, transcendereque. Hæc, inquam, firmiter ac indubitatè credo, quia Tu ô Summa Veritas! id nobis divino admonitu manifestasti. Sed *adjuva incredulitatem meam!* (lll) quàm enim debilis ea vacillet, dum ejus praxis urget, ipsus è cœlo cernis, ac tristis experientia nemini non palam facit. Ergo potenti dextera infirmo succurre, & da, *ut adjungam fidei rectæ vitam rectam, téque confitear & verbis*

&

(lll) Marc. 9. v. 24.

& factis: verbis quidem, vera dicendo; factis verò, sanctè vivendo. (mmm)

§. II.

Hujus fidei cum vita nostra enormis discrepantia est.

I. EQuidem non adeò repugnanter credimus, quæ de virtutis excellentia sacræ Paginæ memorant. Æstimamus illius dignitatem, pulchritudinem admiramur, necessitatem extollimus, utilitatem commendamus, felicitatem demum & gloriam ardentibus votis exoptamus. Fatemur, perfectionem esse illud in Evangelio celebratum drachma deperditum, illud margariton pretiosum, illum thesaurum absconditum omni impenso labore & sumptu quærendum, emendum, effodiendum. Ultro concedimus, omnes reliquas naturæ prærogativas illi collatas, non secus ac stellas Soli compositas, nebulæ instar evanescere.

I. *Id patet ab inductione.*

(mmm) August. Serm. 137. de tempore.

Quin imò eandem cernuo cultu adoramus in Christo, è cruce pendulam: veneramur in Sanctis, altaribus impositam: colimus in Piis, eorundem cineribus commixtam, ossibus & tumulis inclusam. Quando illa sacri Codicis oracula auribus nostris insonant: *beati pauperes spiritu: beati mites, pacifici, misericordes &c.* nobis crimini duceremus, de horum veritate vel leviter dubitare. Verbô: eminentem virtutis solidæ excellentiam esse: nihil pietate utilius, formosius nihil reperiri, famulo assensu prompti credimus, alacres profitemur. Verùm an huic fidei etiam vita? num his verbis etiam facta? an his principiis nostri etiam mores respondent? num facimus, quæ agenda credimus? . . . . Enimvero hic Rhodus, hic saltus.

Teste Gregorio Magno *vera fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit: ille verè credit, qui exercet operando, quod credit.* (a) num à no-

(a) Hom. 26, in Evang.

à nobis hoc fit? an noſtræ fidei etiam acta concordant? *Fides & bona opera* (ait S. Eucherius) *indiſſolubili vinculo connectuntur ita, ut ubi alterum deſit, alterum pariter ruat, neceſſum ſit.* (b) an apud nos talis connexio datur? num intellectus credendo, & voluntas agendo pari ambulant paſſu? Auguſtino *fides ſine dilectione fides dæmonum eſt:* (c) Bernardo *fides, quæ non operatur, cadaver exanime eſt.* (d) nec mirum; nam ſecundùm Jacobi effatum *fides ſine operibus mortua eſt.* (e) qualis noſtra eſt? Agite, ad hunc lapidem Lydium eandem periclitemur.

O quàm timeo, ne etiam nos illorum è numero ſimus, qui *verbis confitentur, ſe noſſe DEUM; factis autem negant.* (f) & quos plurimos reperiri Guerricus Abbas teſtatur, dicens: *hodie quidem ſi de myſterio fidei interroges, omnes ferè invenies chriſtianiſſimos; ſi conſcientiam diſcutias, paucos admodum inve-*

(b) Epiſt. 2. parænet. (c) De Civit. DEI lib. 10. (d) Serm. 24. in cant. (e) Jac. 2. v. 26. (f) Tit. 1. v. 16.

invenies verè christianos. (g) *Vox quidem vox Jacob est :* nihil magis catholicum quàm verba ; *manus autem manus sunt Esau :* (h) nostræ actiones heu! quantopere ab his principiis abludunt. Solùm insistendo illi Religionis nostræ dogmati, quod eminentem pietatis solidæ super cætera sublimitatem nobis credendam proponit, quodque capitis hujus argumentum est, ô quanta in moribus contradictio regnat! Aliqua solùm fugienti calamo perstrinxisse sufficiat.

Inprimis credimus, curam acquirendæ perfectionis esse negotium verè nostrum, unicè necessarium, principale, maximum, cujus causa à DEO creati, à Christo redempti, à Spiritu Sancto illustrati, & religiosæ militiæ adscripti simus: cui comparata reliqua omnia totius vitæ negotia nugæ dici & crepundia possint. Hæc, inquam, credimus; & tamen hoc ipsum illud negotium est, quod vix non unicè à nobis negligitur; cujus potissimam

(g) Serm. 4. de Epiph. (h) Gen. 27. v. 22.

mam vitæ partem immemores vivimus. Præſcriptæ interdiu functiones ſacræ, præſertim oratio, lectio, & conſcientiæ perſcrutatio ſunt efficaciſſimum illud perficiendi remedium; & tamen non eſt obtentus adeò frivolus, non occupatio adeò vilis, non impedimentum adeò leve; ob quod eæ non differantur, truncentur, omittantur; vel ſaltem tepidè tantùm ac oſcitanter peragantur. Animi collectio, actionum quotidianarum accuratio, uſus examinis particularis prorſus inſignia virtutis comparandæ ſubſidia ſunt; & tamen ea plurimis vix de nomine ſunt nota; adeò eorundem uſurpatio obſolevit. Quid autem hoc aliud, quàm diſcordans à fide ſanctitatis neglectio eſt?

Præterea ſcientia Sanctorum ejus generis cimelion eſt, quod unicè à Supremo Numine in pretio habetur, & ſine quo profana omnis doctrina inanis umbra & fumus eſt. Vel unica ſui Deiqúe cognitio, quæ humili idiotæ divinitus immittitur, pluris emi-

nen-

nenter valet quàm perfecta omnium librorum notitia, quàm omnis omnium dœmonum intelligentia. Hanc enim hi ipsi cum omnibus mundi thesauris multa lubentia sine mora prodigerent, si eorum impendio vel unicam ejusmodi gratiam cum annexo gloriæ gradu nundinari possent. Hæc credimus; & tamen beatæ illius disciplinæ æquè parum cupidi ac algebræ vivimus. Divinas ejusmodi motiones, quæ tamen Divinitatis radii & beatitatis pignora sunt, ob leve commodum, ob vilem gustum, ob nihilum passim temerarii abjicimus, eorumque jacturam æquè parum ac pili æstimamus.

Vah pudor! inutilibus non rarò studiis, quibus fors numquam indigebimus, cum damno valetudinis diu noctuque incumbimus; solùm cœlestis Sapientiæ fastidio laboramus. Æternitatis obliti, de tempore disputamus. Cœli incuriosi terram metimur. Luminis naturam investigamus; & animam tenebris involvimus. In

loci

loci definitionem inquirimus; quis verò locus nobis à morte ſit incolendus, non providemus. Quid qualitas ſit & quantitas, profundè exputamus; quanti & quales nos coram DEO ſimus, nihil admodùm curamus. Quis tantæ cæcitati non ingemiſcat? Nempe (ùt ait Thomas à Kempis) *oculos habentes, non videmus.* (i) Duplici corde monſtra ſumus; dum aliud credimus, aliud agimus.

Equidem (pergit idem Aſceta) *non eſt culpanda ſcientia, quæ bona eſt in ſe conſiderata; ſed præferenda eſt ſemper bona conſcientia & virtuoſa vita.* Nunquam ob literas ſpiritus negligendus, nec quicquam ex ſpiritalibus conſuetis actionibus intermittendum eſt. Secus in abditas ſyrtes & latentes ſcopulus certò naufragi impingemus. Id quod idem Auctor aſſeverat his verbis: *quia verò plures magis ſtudent ſcire, quàm bene vivere; ideo ſæpe errant. Et quia magis eligunt magni eſſe, quàm humiles; ideo evaneſcunt in cogitationibus ſuis.*

(i) De imit. Chriſt. l. 1. c. 3.

ſuis. multique pereunt per vanam ſcientiam in ſeculo ; quia parum curant de DEI ſervitio. (l) Unde ſic demum concludit : *utinam vita eorum ſcientiæ ipſorum concordaret, tunc bene ſtudiſſent. O ſi tantam adhiberent diligentiam ad exſtirpanda vitia, & virtutes inſerendas, ſicuti ad movendas quæſtiones, non fierent tanta mala & ſcandala in populo, nec tanta diſſolutio in cœnobiis.* (m) Sed quia plerumque contrarium evenit, maximæ tempeſtates, quibus Eccleſiæ navis jactatur, à multum doctis ſed parum piis capitibus excitatur. Et certè à nemine plus detrimenti eidem, quàm ab iſtis infertur.

Et quæſo, quid nobis in agone conſtitutis proderunt omnes ſcientiæ cum ſanctimoniæ præjudicio per vitæ curſum tanto cum labore, vigiliis tantis & curis acquiſitæ? Quid proderunt tot libri perlecti? tot adverſaria vanis eruditionibus & ſententiis infarcita? quid, inquam, proderunt? niſi quod tunc

(l) Thomas à Kempis de imit. Chriſt. l. 1. c. 3.
(m) Idem ibidem.

tunc ſanguineis lacrimis deploraturi ſimus noſtram hanc inſaniam, qua omnes vires & conatus, quietem & ſanitatem illi rei obtinendæ impendimus, quæ nihil juvat ad beatam æternitatem. contrà verò illud temerè negleximus, quod unum in hoc rerum articulo nobis ſolatio eſſe poſſet.

Certè *adveniente judicii die* (memorati Scriptoris verba ſunt) *non quæretur à nobis, quid legimus, ſed quid fecimus: nec quàm bene diximus, ſed quàm bene viximus. Quid ergo prodeſt magna cavillatio de occultis & obſcuris rebus, de quibus non arguemur in judicio?* An non ergo *grandis inſipientia eſt, neglectis utilibus & neceſſariis, ultro intendere curioſis & damnoſis?* (n) An non vecordia eſt, tam ſolerter præmeditari, quid in publica diſputatione noſtro antagoniſtæ opponamus, & nunquam cogitare, quid illo die furoris Domini divino Judici reſpondeamus? An non ſtultitia eſt, tot horas & dies, hebdomadas & menſes

(n) De imit. Chriſt. l. 1. c. 3.

cum dispendio pietatis inaniter impendere variis libris evolvendis, & selectioribus inde rebus excerpendis, quæ tamen postea nullo ampliùs oculo abjecta dignamur; & quæ, postquam aliquot annis nobiscum sine ullo eorum usu & fructu magna cum molestia per provinciam circumtulimus, tandem alicubi inter rejectitias chartas abjicimus. O verè enormem discrepantiam fidei nostræ cum vita nostra! Quis Indus hanc eamque tantam inter fideles possibilem esse judicaret?

O miser! quicunque veritatibus, quas credis, tuis moribus illudis; en! vel unicus supernæ virtutis actus meretur novum gratiæ augmentum: huic pariter respondet novus gloriæ gradus: minimus ejusmodi gradus omnia mundi regna, omnia naturæ, ingenii & fortunæ dona immensùm excedit. Proin si jactura unius talis gradûs vastissimam Salomonis scientiam unà cum ejus divitiis regiaque potentia comparare tibi: si summos honores, omnem-

nemque in terris felicitatem obtinere posses; pretiosissimam gemmam, purissimum aurum pro vitro vilique gleba commutares; cùm infimus perfectionis gradus tanti res pretii sit, cui nihil in orbe conferri possit, & cui procurandæ labor nullus, nullique sumptus nimii sint. Hæc credimus; & tamen his omnibus nihil abjectius nobis, nihil neglectius est; & quidem eo tempore est, quo aliis crepundiis stulta ingluvie avidi inhiamus.

O Superi! exclamat pius Asceta: *pro modica præbenda longa via curritur; pro æterna vita*, pro acquirenda perfectione *vix pes semel à terra levatur. Vile pretium quæritur: pro uno numismate interdum turpiter litigatur: pro vana re & parva promissione diu noctúque fatigari non timetur. Sed prô pudor! pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore & gloria interminabili;* verbô: pro solida virtute *vel ad modicum fatigari pigritatur.* (o)

(o) Ibid. l. 3. c. 3.

Quin imò cum insigni probitatis injuria etiam in aliis non nisi terrena hæc bona ac naturæ dotes attendimus, & æstimamus: extollimus, & amamus. *Si quis fuerit fortis*, (Thomæ à Kempis observatio est) *dives, pulcher, habilis, vel bonus scriptor, bonus cantor, bonus laborator investigatur; quàm pauper sit spiritu, quàm patiens & mitis, quàm devotus & internus à multis tacetur. Exteriora hominis respiciuntur, interiora negliguntur.* (p)

Quodque pejus est, pestis hæc non solùm per inferiora sacrorum Ordinum viscera, sed frequenter per ipsa etiam eorundem capita grassatur. Dum Superiores subditos his naturalibus donis præditos (licèt defectibus scateant) tamen præ aliis religiosæ pietati deditis fovent, laudant, promovent. Quo fit, ut suis ansam præbeant opinandi; quin imò & palam jactandi, virtutem in hac rerum providentia haud ampliùs esse de pane lucrando: eidem addictos ultima solùm subsellia manere:

(p) Ibid. l. 3. c. 34.

re: nativas ejusmodi dotes sanctitudini à Majoribus præferri; hisque rebus apud eos plus momenti inesse, quàm accuratæ regularum observantiæ. Quo quid aptius à dœmone excogitari potuisset ad evertendas penitus etiam sacerrimas Religiones? Plures practicas vitæ & fidei nostræ antitheses vivasque contradictiones hìc referre supersedeo; cùm ex hactenus allatis abunde pateat, quantopere dogmata, quæ credimus, & mores, quos vivimus, à se invicem dissideant, discrepentque; & quidem cum ingenti nostro pudore differant, discordentque.

II. Nam *quid proderit fratres mei* (inclamat Jacobus) *si fidem quis dicat se habere; opera autem non habeat?* (q) *Quid malo catholico expedit* (ait Hieronymus) *divitias habere veræ fidei; si sapientiam piæ animæ habere neglexerit?* (r) Quid confert, persuasum sibi habere, eminentem esse virtutis solidæ supra cæteras dotes excellentiam; si vi- II. *Cum ingenti nostro pudore.*

(q) Jacob. 2. v. 14. (r) In cap. 16. Proverb.

tæ norma non nisi continua ab hac fide dissensio sit, ac illius infidelis neglectus? Quos alios fructus ex emortua hac arbore decerpemus, quàm plurimam erubescendi, timendique materiam? cùm grandis insipientiæ rei ac improbitatis esse palam convincamur.

Et certè *magna insania est* (inquit ingeniorum suo tempore Phœnix) *Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major insania est, de Evangelii veritate non dubitare; & tamen ita vivere, quasi de ejus falsitate non dubitares.* (s) Ita est: longè major amentia est, vera judicare, quæ de pietatis eminentia dicuntur; & tamen illam ita negligere, ac si divina hæc oracula non nisi poëtarum deliria forent. Longè major perversitas est, Christi axiomata nosse, venerari, laudare; & tamen opposita ipsis dogmata sequi.

Edicite

(s) Picus de Mirandola.

Edicite enim ; an non malitiosa stultitia est, credere DEUM infinitè bonum ; nec tamen ardentiùs amare : infinitè justum ; nec tamen ampliùs timere: infinitè sanctum, ubique præsentem, omnia intuentem ; & tamen in ejus conspectu etiam leviter peccare ? credere, à Servatore veras opes in paupertate, gaudium in pœnitentia, felicitatem in perfectione constitui; & tamen illam aversari, istas perhorrescere, hanc dedignari ? credere demissionem sectandam, carnem macerandam, voluntatem domandam esse, frangendamque ; & tamen honores, commoda, voluptates tam avidè conquirere, propriumque sensum velut idolum adorare? Vestram hìc æquitatem appello : *vos ipsi judicate*, (t) num rationi ac probitati consentaneum sit, cum tali fide talem vitam componere? hæc de Christi disciplina credere; & tamen ita immemores ejus atque incurios vivere ? *ùt prudentibus loquor ; vos ipsi judicate*, (u) an cum regulis prudentiæ congruat, cum san-

(t) 1. Cor. 11. v. 11. (u) 1. Cor. 10. v. 15.

ctissimis hisce institutis tantum tamque continuum teporem, gratiarum abusum, rerumque spiritalium incuriam componere?

O quantopere hanc nostram infidelem improbamque dementiam confundit primorum fidelium illustre exemplum, quorum fides, sæviente olim tyrannide, inter vincula triumphabat libera, quæ modò apud nos, in summa Religionis libertate constitutos, gemit captiva. *Circuierunt illi in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: insuper ludibria & vincula experti, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* (x) & tamen à cœpto virtutis tramite nec latum unguem deflexerunt: per gladios & sartagines, per equuleos & catastas, per fluctus & flammas cœlesti justitiæ inhiarunt. *In fame & siti, in frigore & nuditate, in persecutionibus & opprobriis Domino servierunt. omnibus renuntiarunt. nil de mundo habere cupierunt. corpori servire*

(x) Hebr. 11. v. 36. & seq.

vire etiam in necessitate doluerunt. (y) In summa: opere compleverunt, quod agendum crediderunt.

Et proh pudor! quævis molestia, minima difficultas vel umbra laboris à semita perfectionis nos resilire compellit. *Leo est in via:* (z) *mors est in olla*, (aa) assuetæ nobis parœmiæ vel potiùs næniæ sunt. Verbô: nostra omnis vita nil nisi practica fidei negatio est. Vah! in ruborem nos det tam vecors summæ rei neglectio. Pudeat nos non aliam quàm diabolicam habere fidem. Nam teste Marco etiam *dæmones credunt;* quin insuper *& contremiscunt.* (bb) At quia opera deficiunt, iis hæc fides non salutis pignus, sed solùm verecundiæ terrorisque materia est.

O infelix! quæ tua tunc consternatio erit, quando olim divinus Judex fulminanti voce & truci aspectu

(y) De imit. Christ. l. 1. c. 18. (z) Prov. 26. v. 13. (aa) 4. Reg. 4. v. 40. (bb) Jacob. 2. v. 19.

tibi dicet: *de ore tuo te judico serve nequam.* (cc) En! *hæc credidisti, & hæc fecisti: hæc tua fides, & hi tui mores.* Quid respondebis? Quid animi tibi erit, quando hæc ipsa tua nunc quidem mortua, sed tunc resuscitanda fides accusatoris vices est obitura? Nam S. Augustini opinio est, eandem aliquando apud DEUM jus suum persecuturam, non quidem contra tyrannos; *sanguis enim Martyrum semen erat christianorum:* (dd) non contra ethnicos; hos enim ignorantia multum excusabit: non contra heterodoxos; *qui enim non credit, jam judicatus est:* (ee) sed contra domesticos fidei, contra pseudo-fideles, contra *te*, *verbis fidei enutritum*, (ff) litem movebit; contra te, inquam, in quo illa mortua tot annis, & quasi sepulta delituit: qui illam apud alios diffamâsti: qui omnem ei apud mundanos æstimationem abstulisti?

Nihil

(cc) Luc. 19. v. 22. (dd) Tertull. adversus gentes circa finem. (ee) Joan. 3. v. 18. (ff) 1. Tim. 4. v. 6.

Nihil enim virtutem apud exteros magìs denigrat, deprimitque; nihil eam viliorem reddit ac despectiorem, quàm si eandem vilipendi, negligique cernant ab iis, qui vi statûs assiduam ejus culturam profitentur, & quorum vita perenne ac practicum perfectionis studium esse oporteret. Quid autem tristius, quàm si illi ipsi degenerent in *petras scandali*, (gg) qui debuissent esse *lapides angulares* in domo DEI? (hh) Quid periculosius, quàm si *scutum fidei* (ii) transeat *in laqueum diaboli?* (ll) Quid terribilius, quàm si salutis præsidium vertatur in accusationis argumentum? Equidem vel ad solam hujus rei memoriam toti pudore suffusi cohorrescimus; & tamen (ô immanem socordiam!) & tamen de vita fidei conformanda non cogitamus.

O *Domine DEUS virtutum!* (mm) qui toties discipulis tuis *exprobrasti incredu-*

(gg) 1. Petr. 2. v. 6. (hh) Ibid. v. 8.
(ii) Ephes. 6. v. 16. (ll) 1. Tim. 3. v. 7.
(mm) Psal. 30. v. 6.

credulitatem eorum, & duritiam cordis; (nn) ah! *da nobis augmentum fidei, ut, quam lingua nostra loquitur*, tandem aliquando *etiam moribus vita fateatur.* Ne permittas, ut dogmata, quæ de sanctitatis excellentia credimus, actionum discrepantia denuo inficiemur. Potiùs fac, *ut spiritus tui fervore concepto in fide inveniamur stabiles & in opere efficaces. ut, quæ Te Auctore facienda cognovimus, Te operante impleamus.* (oo) Prohibe, quæso, ne fides nostra nobis suspensa *è collo asinaria* sit *mola*, cujus pondere eò profundiùs *usque ad infernum*, vel saltem in carcerem lustricum *demergamur.* (pp)

§. III.

Causæ & remedia hujus, quæ intercedit inter vitam & fidem nostram, discrepantiæ.

QUod Sol, ille astrorum princeps, in hoc rerum universo, id fides est in homine christiano. Sicut enim ille

(nn) Marc. 16. v. 14. (oo) Ecclesia in orationibus missæ. (pp) Luc. 10. v. 15.

ille ſua luce omnia illuſtrat, & ardore cuncta calefacit; ita hæc quoque mira vi intellectum illuminat, ut ſciat: & voluntatem inflammat, ut velit agere, quæ agenda eſſe ejus magiſterio docemur. Ut proin meritò à S. S. Patribus animæ ocellus vocitetur. Et hinc alaſtor ſtygius Ammonitarum regem Naam (a) imitaturus, omni aſtu allaborat, ut dextrum hunc nobis oculum eruat, vel ſaltem offuſis tenebris ita obſcuret, ut actionis expers inſtar cadaveris iners langueat; probè gnarus, nihil his umbris humano cordi perniciosius immitti poſſe. Hujus igitur morbi 1. cauſas inveſtigabimus; 2. remedia afferemus.

I. Duplex hujus ægritudinis origo eſt, nempe *obſcuritas intellectûs* ob illuſtrationis negationem: nec non *perverſitas voluntatis* ob appetituum rebellionem. Illa impedit, ne quod rectum eſt, agnoſcamus: hæc prohibet, ne etiam agnitum exequamur: utraque facit, ut nulla moribus cum fide con- I. *Hujus morbi origo.*

(a) 1. Reg. 11. v. 2.

conformitas ſit. Ad obſcuritatem intellectûs quod attinet, facile omnes adſtipulantur, hanc mentis noctem infauſtam illam ſcaturiginem eſſe, cui mortua fides vitæque pravitas ſuam ex parte geneſin debeant. Id enim apertè ſacra Pagina aſſerit, dicens: *defecit ſanctus, quoniam diminutæ ſunt veritates à filiis hominum.* (b) *Ambulant in vanitate ſensûs ſui;* quia *tenebris obſcuratum habent intellectum.* (c) *Evanuerunt in cogitationibus ſuis;* quia *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* (d) Ut proin dubium eſſe nemini poſſit, hanc divini luminis abſentiam hujus, de quo agimus, nævi comitans principium eſſe. Verùm hoc difficile captu videtur, quomodo huic caligini in Chriſtianis, præcipuè Religioſis, locus eſſe poſſit? in Chriſtianis, inquam, & Religioſis, qui ſedent *ad fontem ſolis:* (e) qui practicas has de virtutis excellentia veritates in libris legunt, è cathedris audiunt, in ſolitudine meditantur: qui in ipſa lucis regia identidem

(b) Pſal. 11. v. 1. (c) Epheſ. 4. v. 17. & 18. (d) Rom. 1. v. 21. (e) Joſue 15. v. 7.

tidem medii verſantur. Hujus igitur mali radices detexiſſe, operæ pretium erit. Sunt autem ſequentes, videlicet

1. Hæ ipſæ functiones ſacræ, per quas illuſtres hæ gratiæ tanquam per canales ad nos defluere deberent, vel negliguntur, vel ſolùm oſcitanter, adeóque ſine fructu peraguntur; & hinc etiam lumina, aliàs concedenda, negantur.

2. Dein cùm *ab aſſuetis non fiat paſſio*, ùt vetus adagium habet; nos verò quandam jam aſſuetudinem contraxerimus, pia ejusmodi placita diſſimulanter audiendi, languidè contemplandi, obiter legendi; hinc fit, ut divina hæc fulgura, quando etiam divinitus immittuntur, animum quidem feriant, parum tamen ſaucient.

3. Denique cùm horreamus ſincerè converti, etiam declinamus remedia ſeriò reſipiſcendi. Nempe amamus morbum, hinc reſpuimus medicinam: timemus agnoſcere malum,

quod

quod corrigere non libet: aversamur illa tonitrua, quæ lethargum excutiunt: odimus illos splendores, qui dilectas nobis umbras depellunt: indignamur subtrahi pulvinar, cui tam molliter incubamus. Id est, nauseamus illa præsidia externa, quibus uti solet DEUS ad nos interiùs illuminandos; dum vitamus illos concionatores, secessus, libros, meditationes, conscientiæ arbitros, qui ulceri ungues immittunt, latentes sub cinere flammas produnt, nidulantes intus viperas detegunt. Verbô: quia nolumus emendari, hinc etiam per hos nolumus illustrari.

4. Et quando etiam subin redivivos ejusmodi Saulos nil tale opinantes, imò & invitos *subitò de cœlo circumfulget copiosa lux*, (f) ita ut clarè cognoscant incomprehensam virtutis solidæ eminentiam pulchritudinemque; quando etiam infixus menti aculeus eisdem discrepantes à fide mores querulo murmure exprobrat; tamen

(f) Act. 22. v. 6.

men agnitæ veritati præfractè resistunt. Et ne fors eidem suaviter victi tandem cedant, varia mox conventicula quærunt, vel negotia assumunt, aut dissipationes procurant, queis accensa in animo fax denuo diffletur, extinguatur, & suffocetur.

Quid ergo mirum, quòd anima etiam Christiana in ipso gratiarum ac illustrationum meridie adeò cæca & tenebricosa permaneat? Quid mirum, quòd etiam Religiosi de practicis hisce Christi placitis instar mundanorum sentiant, & loquantur? Quid denique mirum, quòd Justitiæ Sol apud plurimos nostrûm tam constantem ecclipsin patiatur? Nempe omnes viæ præcluduntur, quibus cœlestes radii ad nos deriventur; & hinc anima perpetuò tenebris obvoluta jacet. Ex his patet, quatuor hæc capita primos esse fontes illius *obscuritatis* intellectûs, quæ præcipua origo est mortuæ fidei nostræ, adeóque & terribilis illius discrepantiæ, quæ inter hanc nostramque vivendi methodum intercedit.

Altera eſt *voluntatis perverſitas* orta ex vehementia pravorum, qui animo dominantur, affectuum. Licèt enim non minùs verum ſit, cœlorum nobis aditum interclusum iri, niſi nobismet ipſis vim fecerimus; niſi mundi inſtituta oderimus; niſi inimicos dilexerimus; licèt, inquam, hæc non minùs vera ſint, quàm verum eſt, nos paradiſo excluſum iri, niſi ſacro baptismatis fonte luſtrati fuerimus. nihilominus haud pari facilitate nec æquali promptitudine utrique doctrinæ aſſentimur. Illis ſacræ Paginæ oraculis, quæ ſolùm ab intellectu aſſenſum exigunt, haud ægrè adeò ſubſcribimus. At verò illa, quæ inſuper à voluntate congruentem eis praxin requirunt; quæ vitæ actiones fidei regulis conformari volunt, hæc enimvero difficiliùs perſuadentur.

Sic exempli cauſa, DEUM natura unicum eſſe, ac Perſonis trinum: Verbum aſſumpta carne ſemet exinaniiſſe: Chriſtum in Euchariſtia præſentem latere, & quæ his ſimilia ſunt; iſtis equi-

equidem promptiori consensione suffragamur. Verùm *beatos esse, qui lugent: qui esuriunt, & sitiunt justitiam: qui persecutionem patiuntur &c.* (g) *Væ* fore *divitibus: væ, qui rident:* (h) *væ, qui ducunt in bonis dies suos.* (i) quin imò etiam *oculum esse eruendum, manum pedémque abscindendum*, si animæ offendiculo sint. (l) hæc, inquam, credere: hæc vera profiteri: in his judicium Evangelio sub jugum mittere; enimvero hoc opus, hic labor est.

Porro tanti discriminis in promptu ratio est; nam priorum fides, solùm theorica cùm sit, distortas appetitiones non adeò inquietat, amorem proprium non ita infestat, nec adeò molesta sensibus adversatur. & hinc etiam malæ affectiones nostræ his non adeò obmurmurant. At verò posteriora Religionis nostræ dogmata, cùm practica sint: cùm consentaneam fidei

(g) Matth. 5. v. 3. & seq. (h) Luc. 6. v. 24. & 25. (i) Job. 21. v. 13. (l) Marc. 9. v. 42. & seq.

operationem expoſcant: cùm, quod creditur, etiam imperent exerceri; hìc enimvero conjurati inſurgunt omnes rebellis appetentiæ motus; hìc amor proprius, caro, & ſenſus arma corripiunt, claſſicum inſonant, ac voluntatem ſocium in fœdus eò citiùs pertrahunt, quò pronior illa eorundem lenociniis decipi amat, corrumpiſque. Quo fit, ut princeps hæc animæ facultas miſerè perverſa, cum iisdem contra tam incommodam ſibi fidem pariter conſpiret: ut cupiat eſſe falſum, quod intellectus credit verum; quia horret damnare ùt malum, quod carnalibus oculis arridet ùt bonum: ut perfectionem ideis Platonicis annumerando, virtutem ſolidam ad lunæ incolas amandet.

Et, ne interpellans ratio ludum fors turbet, etiam hanc ſuas in partes, offuſis nebulis, facilè adducit. Nam quando cor ſuorum affectuum aliquando mancipium eſt, brevì etiam mentem ita faſcinat, ut hæc aſſentando illud judicet rectum, quod cuticu-

læ eſt gratum: illudque dicat æquum, quod carni eſt commodum: ut omnes ingenii exerat vires, ne confictum à ſe Phantasma veritatis radio diſſipetur. Quin imò his non contenta ferociens voluntas, intellectum inſuper compellit, ut is ſacrilego auſu, alieni ſe fori quæſitorem conſtituens, ipſam quoque fidem veluti ream in jus atque ad examen vocare, ſibique ſummum de ea judicium arrogare non vereatur. Cúmque in hoc tribunali non alia quàm pravorum motuum ſuffragia rogentur; quid mirum, quòd cœleſtis hæc virtus, terra judice, cauſa cadat? quòd exulare ea, vel ſaltem in animi angulo obſcura, otioſa, ſemimortua latere, & elinguis tacere jubeatur? Dum interim amor proprius, dictatorem agens, Chriſti axiomata ſuam in rem interpretatur, Evangelii rigorem mitigat, pietatem genio ſeculi accommodat, ſpiritum DEI ſpiritu mundi vafrè temperat; & amicum quoddam pactum conventumque lucem inter & tenebras, Arcam & Dagon, Chriſtum & Belial, gratiam &

naturam componere tentat. Ex hac autem rerum tam dissimilium commixtione, quid aliud quàm monstra nasci, & continuæ mores inter & fidem repugnantiæ possunt? Quis igitur neget, appetituum rebellionem, & ortam inde voluntatis perversitatem alteram languidæ, corruptæ ac profligatæ fidei nostræ scaturiginem esse?

Ipsa infidelitatis, idololatriæ ac hæresis repetatur origo, nec alia eorum fuisse principia innotescet, quàm hunc ipsum vitiorum in dictam animæ voluntatem dominatum. Sic ex. gr. inter Judæos (ùt refert S. Joannes) *multi ex principibus crediderunt in Christum, sed propter Pharisæos non profitebantur.* (m) quæ causa hujus simulationis? superbia fuit vanusque hominum respectus; *dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.* (n) Illi ipsi Ethnici, quorum luxuriæ, ambitioni & avaritiæ mysterium crucis teste Apostolo *stultitia* fuerat, (o) haud

(m) Joan. 12, v. 42. (n) Ibidem. (o) 1. Cor. 1. v. 23.

haud repugnanter Jovi adultero, furaci Mercurio, libidinosæ Veneri thus adolebant; quia horum flagitia amabant. imperans eis affectio, princeps horum numinum sacrificulus erat.

Etiam hæresis, licèt sedem suam habeat in intellectu, suum tamen ortum & progressum cordis nequitiæ debet. Ex affectuum vitiositate tanta dogmatum improbitas diversitasque profecta est. Libidini, invidiæ, furori emersæ recens ex orco sectæ suum horoscopum in acceptis referunt. Systema novæ religionis semper erat partus cujusdam effrenatæ cupiditatis.

Quin imò etiam inter Catholicos non paucos reperire est, *qui* (ùt Apostolus ait) *veritatem DEI in injustia detinent:* (p) quorum fides mortua est; quia in ipsis vetus homo nimiùm vivit. Non credunt eo, quo par est, modo; quia nolunt: & ideo nolunt; quia facere renuunt, quod agendum sciunt. Liberè dubitant, ut liberiùs

(p) Rom. 1. v. 18.

agant: timent illuſtrari, quia horrent emendari. Sanari quidem orant, ita tamen ut exaudiri timeant: quærere ſe fingunt, quod invenire non cupiunt. Et en! horum omnium cauſa appetitionum rebellio, enataque inde mentis corruptio eſt. Sicut enim auctore Auguſtino *difficile eſt, ut malè vivat, qui bene credit;* (q) ita vix poſſibile eſt, ut bene credat, qui malè vivit. Ex his patet, voluntatis *perverſitatem* unà cum intellectûs *obſcuritate* hujus tam enormis, quam deploramus, diſcrepantiæ venenatam radicem eſſe.

II. *Ejusdem remedia.*

II. Porro *primum*, quod graſſanti huic malo opponamus, antidotum eſt fidelis divinæ lucis uſus, ac tumultuantis appetentiæ victrix coërcitio. Hoc enim præſidio exitioſæ illæ mentis tenebræ ex intellectu fugabuntur; à voluntate verò noxium illud perverſionis periculum arcebitur. Utraque autem facultas aptior reddetur ad meliùs cognoſcenda fidei noſtræ ſcita, eaque in uſum promptiùs deducenda.

Quem

(q) Serm. 237. de tempore.

Quem in finem plurimùm conducent illa, quæ *Parte I. Cap. III. & IV. de abusu gratiæ, & dominante nobis appetitu* fuerunt disputata. Ut proin plura de his eadem de re hìc addere supervacaneum sit.

Alterum pellendo huic morbo remedium est frequens exercitium actuum fidei circa practicas Religionis nostræ materias statutis temporibus sedulò frequentandum, præcipuè tunc, quando tepor aliquis irrepere aut socors rerum spiritalium negligentia invalescere tentat; tunc enim omnino consultum erit, ut ardenti affectione dicamus: *credo Domine! propter tuam id attestantis authoritatem, credo beatos esse, qui esuriunt, & sitiunt justitiam: unicum virtutis actum omnes mundi thesauros immensùm excedere. Credo curam animæ, studium perfectionis esse negotium omnium maximum, unicè necessarium, omnium utilissimum. Credo vanitatem vanitatum, & omnia vanitatem esse, præter amare DEUM, & illi soli servire.* & quæ alia his affinia sunt. Ejusmodi enim affectus præci-

puè frequentiores ſi ſint, ſiniſtras de ſanctitate ideas facilè depellent, objectas difficultates levi brachio vincent; adeóque impiam illam vitæ à fide diſſenſionem providè impedient.

Tertium contra hanc peſtem præſidium eſt conceptum firmiſſimè propoſitum, temporario ſubinde voto firmandum, conſuetas exercitationes ſacras quavis die *ferventer*, *integrè*, & *conſtanter* explendi: ſine urgente eaque graviſſima ratione illas nunquam omittendi, nec differendi, aut decurtandi; ſed deſtinatum his ſpiritûs exercitiis tempus ſacroſanctum habendi: quidquid eorum integritati defuerit, quamprimum ac licuerit, ſumma cum accuratione ſupplendi. Et quamvis lethale non eſt, grande tamen nobis ac majoris notæ piaculum ſit, ob ſtudia vel alia quæcunque negotia dictum hoc mentis decretum fœdifraga temeritate infringere.

Maledicta ſit illa ſcientia, diris devotum ſit illud negotium, quæ, vel

quod

quod cum neglectu virtutis functionumque religiosarum acquiritur, aut perficitur. Eadem sorte, qua montes Gelboe, involvantur; *nec ros* gratiæ cœlestis, *nec pulvia* divinæ benedictionis *veniant super ea.* (r) æterno anathemate feriatur illud studium: nigrum theta inuratur illi actioni, cui cum dispendio rerum, quæ spiritum concernunt, vacatur: illud munus & officium, ille labor & curæ, illa opera & solertiæ, quæ cum detrimento pietatis obeuntur, vel adhibentur, successu careant, laude destituantur, variisque casibus adversis turbentur, impediantur, antiquentur.

Et profectò (quæ justa Numinis ultio est) experientia teste plerumque scientia illa, ob quam sanctitas negligitur, despecta virtute, vel non acquiritur, vel acquisita morbis denuo perditur, vel certè DEus talis hominis doctrina ad promovendam suam gloriam non utitur. Quid? quòd hic ipse DEUS reliquis pariter occupationibus cum sancti-

(r) 2. Reg. 1. v. 21.

ſanctimoniæ præjudicio ſuſceptis, diverſis mirisque viis adverſari gaudeat? cùm ejus oculi pupillam lædat, qui iſtis animæ profectum non præhabet. Hac ergo pœna ne etiam nos caſtigemur, præſcriptæ occupationes piæ primas ſemper ſibi curas vendicent.

Quartò denique cùm viva hæc divinaque fides ſingulare ſit munus cœli, illud ferventi prece & frequenti gemitu à Patre luminum eſt exorandum, clamando nunc cum illo cæco: *Domine, ut videam!* (s) modò cum Apoſtolis: *adauge nobis fidem!* (t) Qua quidem in re magno aliqui errore ducuntur, dum judicant, hanc margaritam non ſecus ac dona linguarum, vaticinationum, lacrymarum, diſcretionum noſtrum omnem conatum meritumque excedere. quo fit, ut illâ æquè faciles careant, ac gratiâ patrandi prodigia. Mirantur quidem heroicam hanc & practicam in Sanctis fidem: optarent & illi eâdem beari:

(s) Luc. 18. v. 41. (t) Joan. 17. v. 5.

ri: cuperent & ipsi ejusmodi magnis illustrationibus ditari; & interim complicatis desides brachiis otiosi perstant, miraculum è cœlo sperantes, ac æmulantes illum pigrum, *qui abscondit manum suam sub ascella*, quemque morbida segnis animi *desideria occidunt.* (u) Instandum, conandum, laborandum est, cœlique fores ingenti cum fiducia pulsandæ; nam (quod Christi promissum est) *dabit Pater de cœlo spiritum bonum petentibus se.* (x)

His tribus præsidiis muniti, geminum illud, quod persequimur, malum facilè depellemus, nempe *obscuritatem* intellectûs, & *perversitatem* voluntatis, quæ tum ob sublationem illustrationum, tum ob rebellionem appetituum enormis illius, quæ fidem inter vitamque intercedit, dissensionis triste principium sunt. Ea igitur inposterum memoriæ commendata, in consuetudinem diligenter deducamus. Secus timeamus, ne nobis fides nostra,

(u) Prov. 19. v. 24. & cap. 21. v. 25.
(x) Luc. 11. v. 13.

ſtra, quæ debuerat eſſe ſcala ad cœlum, fiat præcipitium ad orcum.

Time, quicunque hæc legis, ne idem ipſe Servator, qui olim illi cæco dixerat: *vade, fides tua te ſalvum fecit;* (y) etiam tibi aliquando denunciet: *ito, fides tua te damnavit.* Nam (ùt ait Auguſtinus) *chriſtiani nominis non facit ſola dignitas Chriſtianum; nilque prodeſt, quòd Chriſtianus voceris nomine, ſi hoc non oſtendas in opere.* (z) Et hinc Hieronymus, hac veritate perculſus, ſupplici gemitu exclamat: *ô Chriſte JEſu! memini te olim illis duobus cæcis dixiſſe: ſecundùm fidem veſtram fiat vobis.* (aa) *Ah Domine! hanc vocem tuam ego audire nolo: fiat tibi ſecundùm fidem tuam; ſi enim ſecundùm fidem meam fiat mihi, peribo.* (bb) O! Superi! ſi hæc Hieronymus, ille fidei defenſor, columen & exemplar; quid nos eloqui, ac pertimeſcere par eſt? nos, inquam, quorum mores practica fidei negatio ſunt?

(y) Marc. 10. v. 52. (z) Serm. 38. de tempore. (aa) Matth. 9. v. 29. (bb) Dialog. adverſùs Luciferianos.

ſunt? Da ergo, ô ſanctitatis amator DEUS! ut allatis rationibus convicti, ipſa deinceps vivendi norma oſtendamus, nos verè credere, eminentem virtutis excellentiam eſſe.

CAP. II.

CAPUT II.

DE TIMORE MALORUM A NOBIS INCURRENDORUM, NISI ACQUIRENDÆ VIRTUTI SOLIDÆ STUDEAMUS.

DEtectam fidei noſtræ à moribus diſcrepantiam naturali nexu conſequitur ſalubris quidam timor malorum noſtro capiti impendentium, niſi noxiam hanc diſſenſionem è medio ſuſtulerimus, & omni, quem perfectionis eminentia requirit, conatu eidem obtinendæ incubuerimus. Quàm efficax incitamentum hic metus ſit ad hoc ipſum voluntati perſuadendum, inde patet, quòd ipſe DEUS in ſacris Paginis paſſim timore mali nos incitet ad amorem boni. hæc enim animi motio nobis addere ſolet alas, queis perniciùs ad ſanctitudinis culmen evolemus. Duo igitur illius fovendi ſup-

pedito

pedito argumenta. *Primum* eſt rigor reddendæ rationis. *Alterum* eſt periculum perdendæ ſalutis, niſi comparandæ virtuti ſolidæ nos ſtrenuè impendamus.

§. I.

Rigor reddendæ rationis.

1. IS quadruplici ex capite terribilis erit, nempe 1. ob prævium in obitu angorem, 2. ob rigidiſſimum Judicis examen, 3. ob graviſſimam teſtium authoritatem, 4. denique ob irrevocabilis ſententiæ ſeveritatem. Ad angorem quod attinet, ſummum hunc fore varia ſacri Codicis monimenta declarant. Nam Villicus ille, qui *diſſipavit bona Domini ſui:* (a) Servus ille, *qui acceptum talentum abiens abſcondit in terra:* (b) Virgines illæ, *quæ oleum in vaſis ſuis habere noluerunt*, (c) figura ſunt animæ ad acquirendam ſanctitatem inſignibus à DEO præſidiis in-

1. *Is ſummus erit ob prævium angorem.*

(a) Luc. 16. v. 1. (b) Matth. 25. v. 25. (c) Gregorius Magnus hom. 12. in Evang.

instructæ; sed quæ vecordi incuria iisdem vel non est usa, vel omnino abusa. *Jam non poteris villicare:* (d) *tollite ab eo talentum:* (e) *clausa est janua: nescio vos*, (f) prænuncia tonitrua sunt & tristes prodromi fulminantis illius sententiæ, qua vindex Numen rebelles ejusmodi mentes cum tempore feriet. Ille pavor nequam Villici, illa anxietas segnis Servi, dolor ille fatuarum quinque Virginum, quem memorata hæc fulgura eisdem crearunt, imago sunt horrendæ illius angustiæ ac formidinis, qua tales sub mortem ob neglectui habitam perfectiorem vitam acriter torquebuntur.

Turbulenta illa consternatio impii Balthassaris, dum *visis digitis quasi manûs scribentis in superficie parietis*, pallore exanimata facie, totis artubus ita contremuit, *ut compages renum ejus solverentur, & genua ejus ad se invicem colliderentur;* (g) hæc, inquam, sacrilegi regis consternatio non nisi umbratile

(d) Luc. 16. v. 1. (e) Matth. 25. v. 28. (f) Matth. 25. v. 10. & 12. (g) Dan. 5. v. 5. & 6.

bratile præludium & præſaga ſolùm ſcena eſt tremendæ illius perturbationis, qua etiam tales olim moribundi in pœnam tam projecti tot luminum virtutisque deſpicatûs, adhuc ante judicium prævia carnificina clam omnibus latenter excruciabuntur. dico: *clam* & *latenter*; nam (ùt nonnulli Doctorum opinantur) ſolus Balthaſſar vidit myſticam manum illam, necis decretum occultis caracteribus parieti inſcribentem: omnium reliquorum, qui aderant, viſum mirabile oſtentum fugiebat. Nihilominus ex ejus trepidatione, vultûs pallore, elatisque, in quos erumpebat, clamoribus facilè collegerunt, eum aliquid prorſus horrificum conſpexiſſe.

Hoc ipſum ferme ejusmodi prodigis gratiarum Nepotibus & ſanctimoniæ oſoribus ad extrema deductis evenire conſuevit. Illi equidem ſoli mentis obtutu intuentur Nemeſis dexteram *contra ſe ſcribentem amaritudines:* (h) quæ intus in talium animis procella

(h) Job. 13. v. 26.

ſæviat, præſentes quidem latet; ſed tamen turbidi oculorum nictus, frontis ſudor, membrorum tremor, aliaque oris indicia internum timorem, triſtitiam, horrorem, quo tunc miſeri percelluntur, abunde adſtantibus produnt, & elingui facundia divulgant.

Longum texere catalogum liceret illorum, etiam Religioſorum, quos neglecta perfectio, ſpreti inſtinctus, ac reddendæ propterea rationis rigor in ultimo agone ita anxios habuit, ut non rarò à deſperatione proximi abfuerint. Nempe cœleſtes hi motus, queis ad ſanctitatem impellimur, illatum ſibi deſpectum vindici morſu hoc potiſſimùm tempore ulciſci ſolent.

De S. Hilarione narrat Hieronymus, eum letho proximum ac futuræ ſortis ſolicitum tremula voce exclamaſſe: *egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſerviiſti Chriſto, & mortem times?*

(i)

(i) Superi! si hæc Hilarion, illud sanctimoniæ speculum, & quidem post transactos in pœnitentiæ palæstra septuaginta annos; quid nos peccatores sentire par est? si ille, fato vicinus, saluti suæ tantopere timuit? si is, instantis judicii asperitate perterritus, adeò contremuit? quid ergo non metuant illi gratiarum decoctores, qui ad sanctius vitæ genus vocati, obdurantes corda sua, teporis limo toti & semper infixi hæserunt? O quàm timida mentis ægritudine, quàm perturbata animi intemperie morituri conflictabuntur! ô quantopere prævius hic angor exasperabit reddendæ rationis rigorem!

II. Nihilominus antecedens hic metus animæ, in supremo conflictu constitutæ, solùm est umbra illius pavoris, quem colles æternitatis in eandem conjicient tunc, quando illi severo tribunali judicanda sistetur. Hìc enimvero ferale se theatrum pandet; ubi severitas, angustia, & terror princi- II. *Ob judicis exame.*

(i) Hieronymus in ejus vita.

pem personam sustinebunt. ubi sola Justitia, nulla comite Misericordia, ultrici dominatu solium occupabit, flammeamque machæram omnium potens rotabit. ubi Judex erit, qui *non est personarum acceptor, DEUS:* (l) *qui nec favore prævenitur, nec miseratione flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec satisfactione mitigatur:* (m) *cui omne clausum panditur, omne occultum revelatur, omnia obscura clarescunt: cui ipsum silentium confitetur, & mens sine voce loquitur.* (n) Et hic (contremisce ô terra!) hic sapientissimus, inexorabilis, rigidissimus, & per hanc ipsam virtutis neglectionem vehementer irritatus Judex, hic, inquam, *judicio contendet tecum,* (o) ô infidelis anima! hic *arguet te, & statuet contra faciem tuam,* (p) *cuncta, quæ egisti, adducens in judicium:* (q) hic dati acceptique accuratum subducet calculum, residuique debiti meditatam inibit

(l) Act. 10. v. 34. (m) August. l. 3. de Symb. cap. 8. (n) Chrys. hom. 33. in Joannem. (o) Jerem. 2. v. 35. (p) Psal. 49. v. 21. (q) Ecclæ. 12. v. 14.

bit computationem. Is hunc in finem, ſublato ab oculis velo, univerſos vitæ tuæ annales, omnemque gratiarum, queis abuſa es, ſeriem velut in tabula depictam, immiſſo divinitus radio, ſub uno aſpectu ponet, unico junctim intuitu ac minutatim pervidendam.

Nam cognitio DEI (docente Apoſtolo) *illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* (r) quin imò *penetrabilior omni gladio ancipiti pertinget usque ad diviſionem animæ & ſpiritûs, compagum & medullarum.* (s) Divinus ille *intentionum ac cogitationum diſcretor* oculus (t) perfectam conſcientiæ anatomen (ad quam Paulus ſua locutione alluſiſſe videtur) repente in ictu oculi inſtituet. Quemadmodum enim medica manus artifici cultro in qualibet corporis parte minimas etiam fibras ita novit ſejungere, ut ſingulæ valeant acutè diſtingui; ita quoque *ſcrutans renes & corda Dominus*, (u) in hac inquiſitione, ana-

(r) 1. Cor. 4. v. 5. (s) Heb. 4. v. 12. (t) ibid. (u) Apoc. 2. v. 23.

tomica luce, ſecretiſſima quæque deteget. Infinitæ Sapientiæ ſuæ radiis omnes animæ facultates, facultatum operationes, operationum defectus, defectuum multitudinem malitiamque ſingillatim diſſecabit. Omnes perfectionis obtinendæ, & pietatis exercendæ occaſiones, impulſus, remedia articulatim diſcriminabit, nobisque particulatim internoſcenda objiciet. Quod tempus oblivione tumulavit: quod corrupta natura ùt ſcrupulos explosit: quod moderatorum indulgentia, uſus ſæculi, turba negotiorum, & mens à corde ſeducta imminuit, excuſavit, abſolvit; id omne in apricum producetur, æqua trutina examinandum. Nunc quidem conſcientia noſtra ſimilis eſt volumini in orbem circumacto, complicatóque, in quo literæ ſyllabæque non niſi confuſè, ſummatim & ſine ordine videntur. At verò tunc, ubi hic liber explicabitur, & palam expandetur, omnis vitæ hiſtoria, ſuis veſtita adjunctis, uno conſpectu diſtinctè legetur.

O quæ

O quæ rerum monſtra tunc in oculos incurrent! Non ſolùm piacula tum propria tum aliena, quæ nunquam confeſſi fuimus: non ſolùm omiſſiones, graveſque in explendis muneribus neglectiones, de quibus nunquam cogitavimus; ſed ipſæ etiam virtutes, bonaque (ùt credebantur) opera pudori nobis terrorique erunt. Heu! illo lucidiſſimo meridie, quando Sol juſtitiæ in libræ ſigno ſuum illud terribile ſolſtitium celebrabit (præſagiente id nobis Iſaia) *quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ* apparebunt. (x) Quos fructus dignos judicabamus, qui æthereæ illi menſæ inferrentur, agnoſcemus fuiſſe *ficus malas, malas valde*, (y) *botros amariſſimos, uvas fellis*, (z) non præmio coronanda, ſed ſupplicio caſtiganda.

Nam, ut actio aliqua habeatur ſimpliciter bona, & coronæ immortalis meritoria, quatuor conditiones requiruntur, ſcilicet ut ipſa *res*, quæ fit:

(x) Iſa. 64. v. 6. (y) Jerem. 24. v. 3.
(z) Deut. 32. v. 32.

modus, quo fit: *ratio*, ex qua fit: & *finis*, ob quem fit, bona sint & honesta: harum vel unica si defecerit, jam omnis ùt manca rejicietur. Irrepens aliquis tepor, sinistra quædam affectio, unica amoris proprii particula mox omnia corrumpit; & illud, quod aliàs mercedis materia foret, noxia metamorphosi in castigationis causam convertit. (w)

Jam verò ad hanc regulam si operationes nostras examinaverimus; ah! fortè vix ullam omni expertem nævo reperiemus. Ita est, (ait Gregorius Magnus) *ipsa justitia nostra, ad examen divinæ Justitiæ deducta, injustitia erit; & sordebit in districtione Judicis, quod in æstimatione fulget operantis.* (aa) O Superi! quod putabamus esse divinæ gloriæ zelum, videbimus fuisse propriæ laudis studium: cui tribuebamus prudentiæ, forticudinis, & temperantiæ meritum, convincemur fuisse simulationis, pertinaciæ, & sorditiei vitium:

(w) Vide dicta p. 1. c. 1. §. 2. Num. 1.
(aa) Lib. 5. Moral. c. 6.

tium: quod discretionis, justitiæ, charitatis pallio obtexîmus, detracta nunc larvâ, cuticulæ curam, ultionem, sensûs illecebram fuisse palam omnibus constabit. Verbô: attoniti conspiciemus, illas ipsas actiones nostras, ob quas toties nobis vanè complacuimus, in quibus omnis spei anchoram solidavimus, non nisi paleas fuisse, piaculari rogo lustrandas; & quidem id eas fuisse non sine malitioso despectu tot cœli favorum, quibus illæ tam facilè ad superni actûs celsitatem sublimari; nos verò ad perfectionem eniti potuissemus; & de quorum omnium contemptu severissima tunc ratio exigetur.

Nunc quidem futurorum improvidi tot illustrationum, quibus ad sublimiorem sanctimoniæ gradum evadere licuisset, irreparabilem jacturam flocci pendimus, & veluti rem nihili cum risu explodimus. At verò ô quàm alia mente sensa fovebimus! quando candelæ mortualis vicinæque æternitatis splendore illustrati, erro-

rem-

remque dedocti, coram irritato Judice de hac ipsa cœlestium luminum virtutisque despicientia causam dicere cogemur.

O quanto terrore percellemur! dum aures nostras illa tonitrua attonabunt: *numera*, *pondera*, *divide*. Numera gratias, tibi per vitæ cursum concessas; .... heu! quàm ingens earum est cumulus. Pondera Sanctuarii bilance earundem pretium; .... ah! inæstimabile est ac infinitum. Divide jam illarum usum ab earundem abusu; ... proh! quantum hic illum excedit. Combina illum auxiliorum tam ingentem numerum cum eorundem tam vecordi neglectu: compone illam eorundem excellentem adeò dignitatem cum ipsorum tam protervo contemptu: compara sanctitudinem, quam acquirere potuisses, cum ea, quam possides; & edic jam, quid ista tibi exprobraturo Judici sis responsurus? .... Hic modò paulùm subsiste, & responsum præcogita.

Simul

Simul tamen memineris, quia in illo rerum articulo nullæ proderunt excusationes. nam velut umbræ, admota luce, momentô diffugient omnes illi fallaces obtentus, speciosa nomina, inanesque fuci, quibus tam ingratam tot instinctuum perfectionisque contemtionem hactenus colorabas. Nullæ proficient lacrimæ & preces; quia ibi *non erit tempus miserendi.* (bb) Nulla denique suppetent effugia. nam te *Justitia DEI sicut montes*, ejusque *judicia* velut *abyssus multa* circumvallabunt. (cc)

Equidem tunc pro obtinenda vel unica, licèt minima, cœlesti motione mille regna, omnes mundi thesauros largè prodigeres; nec tamen obtinebis. Præterea lustrici carceris cruciatus plures annos libenter tolerares, si his vel unicam mercari liceret; & non licebit. Etiam tu cum illa anima casso gemitu exclamabis: *ô si vel horula daretur!* & non dabitur; quia *tunc tempus non erit ampliùs.* (dd) Nempe

(bb) Psal. 101. v. 14. (cc) Psal. 35. v. 7.
(dd) Apoc. 10. v. 7.

pe dum habuisti, iis uti noluisti; nunc reciprocante pœna, cùm uti velles, iisdem te privatum gemes. Et hoc est illud punctum, quod inter alia judicii hujus & examinis severitatem tantopere aggravabit, neglecta scilicet tam multiplex gratia, & spreta, quæ tam facilè acquiri poterat, celsior virtus.

III. *Ob testium authoritatem.*

III. At verò ingens his omnibus pondus ac momentum addent gemini testes omni exceptione majores, qui adversùm te, ab omnibus derelictum, consurgent, suoque suffragio rigorem reddendæ rationis immensùm exasperabunt, *Fides* videlicet & *Conscientia*. hi enim sunt *illi libri*, qui teste Apocalyptico Vate *in conspectu throni* aperientur, *& ex quibus mortui secundùm opera ipsorum* judicabuntur. (ee)

Ita est, ô miser! fides tua te accusabit ùt christianum: conscientia, rationi sociata, ùt hominem. Illa ostendet dogmata, quæ credidisti: hæc exhibe-

(ee) Apoc. 20. v. 12.

hibebit præsidia, quæ habuisti. Illa clamabit: *debuisses*; hæc dicet: *potuisses* fieri sanctus, & quidem magnus sanctus. *debuisses* ob veritates, quas cognovisti: *potuisses* ob adjumenta, queis abundàsti. *debuisses* ob conditionem statûs Religiosi, dignitatem Sacerdotii, excelsitatem officii, quod gessisti: *potuisses* ob innumeras gratias hunc in finem tibi concessas, ob varias occasiones exercendi virtutes, ob tot aliorum exempla, qui ejusdem tecum conditionis in eodem tuo munere & loco magnam sanctitatem sunt adepti. Verbô: *debuisses*, & *potuisses* ad magnum solidæ virtutis gradum eniti. Id non solùm *fides* tua & juncta rationi *conscientia* testabuntur: sed æternus quoque trium Personarum Senatus divina sententia confirmabit.

O quanta igitur tua confusio tunc erit, quando ipsus de rei veritate convictus, lacrimanti gemitu fateri cogéris, te his omnibus insuper habitis tamen vix esse christianum mediocriter bonum: te esse illum *agrum* homi-

nis

nis pigri, *quem repleverunt urticæ:* (ff) illam *vineam* viri ſtulti, *quæ exſpectata, ut faceret uvas, fecit labruſcas:* (gg) illam Evangelii *ficulneam*, (hh) quæ ſua ſterilitate omnem Patrisfamilias ſpem curamque tot annis luſit.

O miſella anima! quantus tremor te occupabit; cùm videbis rem in eo jam eſſe, ut beſtiis conculcanda relinquaris: ſepto & maceria priveris, ac vindice ferro exciſa, in ignem cremanda conjiciaris? cùm ſenties adverſùm te *armari omnem creaturam ad ultionem;* (ii) nempe Angelum cuſtodem, cujus monita ſpreviſti: beatos Cœlites, quorum exempla deriſiſti: Matrem Virginem, cujus patrocinium neglexiſti; *teſtimonium reddente ipſis conſcientia tua* (ll) Cùm cernes, ipſam quoque Miſericordiam, quæ tamen hactenus te intra charitatis ſuæ viſcera tam tenerè fovit; cùm, inquam, cernes Miſericordiam, te à tribunali Juſtitiæ

(ff) Prov. 24. v. 31. (gg) Iſa. 5. v. 24. (hh) Luc. 13. v. 7. (ii) Sap. 5. v. 18. (ll) Rom. 2. v. 15.

ſtitiæ ad ejus clementiæ thronum confugientem, averſo vultu repellere, ultrices pœnas expoſcere, hancque gratiarum virtutisque neglectionem tibi exprobrando, atrum contra te ſuffragium ferre.

IV. Denique ô quàm terribili consternatione percelléris, cùm conſpicies *antiquum dierum, ſedentem in throno flammæ ignis, & fluvium igneum egredientem à facie ejus.* (mm) quando eum audies inter tonitrua & fulgura *loquentem tibi judicia ſua*, (nn) ac cœlum & terram velut teſtes ſuæ æquitatis contra te evocantem, dicendo: *judicate inter me & vineam meam! quid* ampliùs *facere debui, & non feci?* (oo) En! ô ingrate! *vocavi te* ad magnam perfectionem ſublimemque ſanctimoniæ gradum; *& renuiſti.* (pp) contuli in te gratias meo ſanguine partas, pretio & numero infinitas; & contempſiſti. *in charitate perpetua dilexi te:* (qq) *quaſi pupillam oculi cuſto-* IV. *Ob ſententiæ ſeveritatem.*

(mm) Dan. 7. v. 9. & 10. (nn) Jerem. 1. v. 16. (oo) Iſa. 5. v. 4. (pp) Prov. 1. v. 24. (qq) Jerem. 31. v. 3.

divi te : (rr) *portavi te in sinu meo, sicut portare solet nutrix infantulum suum;* (ss) *& recalcitrasti,* (tt) *reddendo mala pro bonis, & odium pro dilectione.* (uu) *hæc fecisti, & tacui :* (xx) tot annis *silui, patiens fui.* Verùm nunc tandem *sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* (yy) *hoc die ultionis meæ,* (zz) *effundam super te indignationem meam, omnem iram furoris mei.* (aaa) dicam ministris justitiæ meæ: *tollite ab eo talentum, & inutilem servum ejicite in tenebras exteriores;* (bbb) ut ibi ultricibus flammis expiet tam vecordem virtutis solidæ neglectum.

Quis ad hæc jam tibi sensus? *ô anima tepida!* (exclamat Bernardus) *si non tota mente expergisceris, si non tremis ad hoc tonitru tam tremendum, verè non dormis, sed mortua es.* (ccc) *Nam quid tam pavendum?* (pergit mellifluus Abbas) *quid tam plenum anxietatis & vehemen-*

(rr) Deut. 32. v. 6. (ss) Num. 11. v. 12. (tt) Deut. 32. v. 15. (uu) Psal. 108. v. 5. (xx) Psal. 49. v. 21. (yy) Isa. 42. v. 14. (zz) Isa. 34. v. 8. (aaa) Soph. 3. v. 8. (bbb) Matth. 25. v. 29. & 30. (ccc) In Cant. Serm. 21.

hementissimæ solicitudinis excogitari potest, quàm judicandum adstare illi terrifico tribunali, & irrevocabilem exspectare à tam districto Judice sententiam? (ddd) An non ergo verissimum est, illum reddendæ rationis diem, quo à DEO in jus rapiemur, omnino terribilem fore tum ob prævium angorem, judicisque examen: tum ob testium authoritatem, sententiæque severitatem.

O *DEUS! cujus iræ nemo resistere potest,* (eee) *& in cujus oculis omnia nuda sunt & aperta;* (fff) *quid faciam, cùm surrexeris ad judicandum? &, cùm quæsieris, quid respondebo tibi?* (ggg) *Quis stabit contra judicium tuum?* (hhh) *Sapiens corde es, & fortis robore: quantus autem ego sum, ut respondeam tibi, & loquar verbis meis tecum?* (iii) Ah! *cœli non sunt mundi in conspectu tuo, & in angelis reperisti pravitatem;* (lll)

(ddd) Serm. 5. in Psal. qui habitat. (eee) Job. 9. v. 13. (fff) Hebr. 4. v. 13. (ggg) Job. 31. v. 14. (hhh) Sap. 12. v. 12. (iii) Job. 9. v. 4. & 14. (lll) Thom. Kemp. de imit. Christi. l. 3. c. 14.

quantò magis mihi timendum eſt illud fulmen: *non invenio opera tua plena:* (mmm) *inventus es minus habens;* (nnn) præſertim cùm *non juſtificetur in conſpectu tuo omnis vivens.* (ooo) Hinc meritò *pavore & tremore concutiuntur omnia oſſa mea, & expaveſcit anima mea valde; dum intonas ſuper me judicia tua Domine.* (ppp) Nihilominus cùm hic rigor reddendæ olim rationis de neglecta perfectione potens incitamentum ſit ad eam toto niſu tendendi, ampliùs *confige timore tuo carnes meas, ut à judiciis tuis* vehementiùs *timeam,* (qqq) eorumque aſperitatem ſanctiori vita præveniam, mitigemque.

§. II.

Periculum perdendæ ſalutis.

I. *Dantur, qui, niſi fiant ſancti, erunt reprobi.*

I. QUamvis rigor reddendæ rationis ejusmodi cœleſtium donorum & annexæ ſanctitatis decoctoribus ingens argumentum trepidandi ſit; nihilo-

(mmm) Apoc. 3. v. 2. (nnn) Dan. 5. v. 27. (ooo) Pſal. 142. v. 2. (ppp) De imit. Chriſti ibid. (qqq) Pſal. 118. v. 120.

hilominus non minùs efficax timendi, tremendiqúe iis ratio eſt probabile illud perdendæ ſalutis periculum, quod incurrunt haud pauci, qui virtutis ſolidæ incurioſi vivunt. Probabilitas hujus diſcriminis nititur ſequenti fundamento, quod varia ſacræ Paginæ loca omnino credibile reddunt; nempe dantur aliqui, qui niſi fiant perfecti, erunt damnati: qui medium non habent: aut erunt ſancti, aut reprobi. Ut rite percipiar, uberiùs meam explico mentem.

Supremus ille humanæ ſortis Arbiter DEUS aliquas ſubin animas cœlo aſſerere ſtatuit, quaſi (ùt ita loquar) disjunctivè aliquem illis gloriæ gradum aſſignando, nempe vel hunc ſummum, vel iſtum medium, aut illum denique infimum; ita quidem, ut niſi pervenerint ad ſublimem gradum gloriæ A, decernat illis conferre medium gradum gloriæ B; & niſi etiam ad hunc eluctentur, eis deſtinet infimum gradum gloriæ C, non quidem affectu (ùt ajunt) *illimitato*, & ad infinitos

ejusmodi gradus sese extendente; sed intra certos, ampliores tamen, limites coarctato.

Exempli gratia Æternum illud Ens (nostro cogitandi modo) ita discurrit: si Petrus consenserit omnibus gratiis à me ipsi tribuendis, dabo ipsi eminentem illam sedem gloriæ A; si verò aliquibus solùm, potioribus tamen, responderit, beabo ipsum altera illa inferiori sede gloriæ B.

Ejusmodi decreta in DEO existere, constat ab inductione. Sic plurimi Beatorum, si omnibus semper auxiliis æquali fidelitate auscultassent: si nullis unquam leves dissensissent; majoris nunc felicitatis corona in cœlis redimiti splenderent. Sed quia humana fragilitate superati, subinde ejusmodi instinctus surda aure præteriêrunt, solio minùs alto nunc insident, sublimiore gavisuri, nisi suis partibus saltem subin inconstantes defuissent. Igitur hos DEUS ita prædestinavit ad excelsiorem vitæ immortalis thronum,

ut

ut ſimul ad inferiorem eos admittere ſtatuerit, ſi illum eminentiorem non fuerint aſſecuti.

Contrà verò eadem Æterna Mens aliquas animas ſpecialibus donis præveniendas, & quas peculiari amore *in manibus ſuis deſcriptas*, *coram oculis ſemper* habet; (a) has, inquam, ita definitè vocat ad excelſum hunc in individuo gradum gloriæ A, ut niſi ad hunc ſingillatim gradum per excelſam pariter perfectionem eluctati fuerint, ad nullum humiliorem ſint admittendi.

Exempli gratia Trinitas illa Sacroſancta divino Senatusconſulto ita rem definit: concedam Petro hanc determinatam ſeriem magnarum prorſus gratiarum, quibus ſi bene uſus, hunc N. ſanctimoniæ apicem attigerit, ad hoc pariter N. beatæ viſionis culmen eundem elevabo. Quodſi verò, prodigæ huic meæ erga eum beneficentiæ perfidè reſiſtendo, excellentem

(a) Iſa. 49. v. 16.

hanc virtutem assequi temerè neglexerit, non tantùm illustrem illam beatitatis sedem ei negabo, sed substractis insuper efficacioribus auxiliis eundem permittam labi in gravem noxam, huicque immori, ac perire.

Et pro his, ajo, medium non dari: ejusmodi nisi fiant sancti, erunt reprobi: tales nisi in regno cœlorum fuerint primi, erunt nulli: hi nisi evadant perfecti, erunt damnati. Quia DEUS eorum perseverantiam finalem ita absolutè annexuit huic altiori sanctitatis gradui, ut si ad hunc non fuerint eluctati, ob negandas potentiores gratias nullum inferiorem alium sint obtenturi; ac ipsa demum salute ob committenda ab ipsis flagitia privandi. Quod autem æquissimum sapientissimumque illud Numen ejusmodi decreta de mortalium *quibusdam* ab æterno formaverit, divini Libri luculenta suppeditant argumenta.

Primum depromit Matthæus, hæc de Christo narrans: *advocans JESUS parvu-*

parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. (b) id est, (ùt interpretatur Lyranus) *nisi conversi fueritis ab hac ambitione vestra, & efficiamini sicut parvulus, imitantes ejus humilitatem: nisi vos sublimem illum demissionis gradum acquisiveritis per laborem, quem pueri habent per naturam, non intrabitis in regnum cœlorum.* (c) En! non solùm minatur Salvator, eos non fore primos Religionis divinæ signiferos magnósve sanctos, sed ne quidem salvos.

Jam sic: Apostoli si his Christi monitis non auscultassent, æternùm periissent; id enim clarè significant hæ voces: *nisi efficiamini: non intrabitis.* Non autem cœlo exclusi fuissent præcisè propter illam ambitionem, qua inter se disceptabant: *quis illorum videretur esse major;* hæc enim unanimi Interpretum sententia lethalis haud fuerat. Ergo cœlesti patria exulâssent ob

(b) Matth. 18. v. 3. (c) in cap. 18. Matth.

neglectum celsiorem illum demissionis gradum, ad quem sectandum peculiari instinctu impellebantur. Non quidem ac si solus hic defectus sufficiens causa fuisset, damnationis fulmen in eosdem intorquendi: sed quia DEUS illorum beatitudinem huic determinato perfectionis gradui ita alligaverat, ut si illum consequi omisissent, in gravia postmodum lapsi, sempiternùm interiissent. Ex quo abunde liquet, dari aliquos, qui nisi fiant perfecti, erunt damnati; cùm ex horum numero ipsi etiam principes christianæ legis Magistri ac Præcones fuerint.

Alterum id asserendi fundamentum eruitur ex illis Christi, quibus Petrum ante ultimam cœnam allocutus est, verbis: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* (d) Nam ex una parte hæc oppositio Petri, dicentis: *non lavabis mihi pedes in æternum:* (e) omnium judicio mortiferi criminis limites non attigit. Ex altera verò parte JEsum per

(d) Joan. 13. v. 8. (e) Ibidem.

per has voces: *non habebis partem mecum*, ipsam beatæ æternitatis jacturam intentâsse, post S. S. Augustinum, & Basilium autumant Salmeron, Lyranus, Simon de Cassia cum aliis. (f) Ergo Petrus æterna felicitate privatus, orco in prædam cessisset, nisi hoc sanctimoniæ obstaculum (illam ajo nimis humilem repugnantiam) è medio sustulisset: nisi præstantem illum cæcæ obedientiæ apicem conscendisset. Ergo

(f) Salmeron Tomo 9. Tract. 7. in hunc versum; ubi sic: *his verbis, NON HABEBIS PARTEM MECUM, minatur Christus amissionem rei tam desideratæ, quàm est æterna felicitas, quæ metaphoricè dicitur pars sive hæreditas juxta illud psalmi 72: PARS MEA DEUS IN ÆTERNUM. Alii quidem eadem verba sic interpretantur: non eris particeps convictûs & consuetudinis meæ: à meo te expellam consortio. Verùm præstat prior intelligentia, ut minetur expulsionem de æterna beatitudinis parte, ùt Augustinus, & Basilius Sermone de DEI judicio exponunt.*

Lyranus in idem cap. 13. Joannis sic commentatur: *quia Christus volebat simpliciter hoc facere, (id est lavare pedes) Petrus de necessitate salutis tenebatur sustinere; aliàs separandus à JESU, qui salus interpretatur.*

Simon de Cassia de Passione Domini Salvatoris Lib. 13. fol. 711. hæc habet: *unde, cùm dicitur: NON HABEBIS PARTEM MECUM, idem est ac: non erit tua beatitudo mecum.*

go ſunt, pro quibus medium non datur : qui in cœlo, niſi ſint primi, erunt nulli.

Exemplo pariter nobis ſit adoleſcens ille, qui à Servatore noſtro ad magnæ ſanctitatis culmen invitabatur his verbis : *ſi vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, da pauperibus, & veni ſequere me.* Verùm, cùm *his ille auditis, contriſtatus in verbo, abiiſſet mœrens, (erat enim habens multas poſſeſſiones) circumſpiciens JESUS, ait diſcipulis ſuis : quàm difficile tales in regnum DEI introibunt. Facilius eſt, camelum per foramen acûs tranſire.* (g)

Qua locutione, veſtita carne Divini Patris Sapientia, ſat apertè ſignificabat, juvenem hunc, quamvìs tunc etiamnum innocentem, tamen ob contemptam, ad quam vocabatur, perfectionem in ſummo perdendæ ſalutis periculo verſari. Id enim ſat clarè loquebantur illi Servatoris triſtes obtutus

(g) Matth. 19. v. 16. & ſeq. Marci 10. v. 21. & ſeq.

tutus gemitusque; præcipuè verò illorum verborum vis: *quàm difficilè tales intrabunt; facilius est camelum transire.* Quid enim hæc aliud quàm ancipitem & periculosam illius animæ sortem denotabant? Quin imò non desunt Auctores, qui illum omnino periisse contendant.

Superi! Adolescens hic cœli cupidissimus erat: *quid faciam*, ajebat, *ut vitam æternam percipiam? Quid adhuc sibi desit*, solicitè interrogabat. *Omnia mandata à juventute sua custodierat:* nulla adhuc capitali noxa Supremam Majestatem offenderat: primam innocentiæ stolam hucusque illibatam servaverat; propterea *intuitus eum JESUS*, etiam *dilexerat.* Et nihilominus postea, graviori scelere contaminatus, credibiliter sempiternùm interiit; quia ad excelsiorem sanctimoniam appellatus, cœlestibus monitis obsequi renuit. Nempe etiam pro hoc non dabatur medium; cùm noluerit esse sanctus, probabiliter evasit reprobus.

Eadem

Eadem fuerat ſors illius Epheſiorum Epiſcopi, ad quem Beatus Joannes ſequentia ſcribere fuerat juſſus: *hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum: ſcio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos: quia odiſti facta Nicolaitarum, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non deficiſti. Sed habeo adversùm te, quod charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaque, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* (h) Hæc Joannes illius Eccleſiæ Prælato, & quidem juſſu Numinis.

Epiſcopus hic (ùt opinatur Cornelius à Lapide (i) cum pluribus aliis) S. Timotheus fuerat, dilectus ille Pauli diſcipulus. Illius odium, quo vitia averſabatur: illius ardor, quo pro DEI

(h) Apoc. 2. v. 1. & ſeq. (i) In cap. 2. verſum 1. Apoc. Joannis, ubi dicit, hanc opinionem eſſe communem.

DEI gloria laborabat: illius patientia, qua adversitates amore fidei constanter tolerabat, ejusmodi erant, ut ab ipsomet Christo magnis encomiis deprædicari meruerint. Defectus, qui ipsi tam amarè exprobratur, ex mente Interpretum venialis culpæ malitiam non excesserat: solùm irrepens aliquis tepor fuerat: levis non nisi remissio erat primi illius fervoris, quo initiò sese servitio DEI salutique animarum impenderat. (k)

Et tamen nisi quantocyus languorem excutiat, nisi resumpto priori animo ad virtutis culmen constanter eniti pergat, candelabrum ejus loco movendum esse, eidem divinitus denunciatur. Et licèt per hanc candelabri

(k) Cornelius à Lapide loc. cit. in vers. 4; ubi sic: *videtur hic Episcopus nonnihil intepuisse in prædicando verbo DEI, in labore convertendi Ephesios, eò quòd videret Judæos & Gentiles Dianæ Ephesiæ cultores sibi pertinaciter obsistere. Unde partim ex pusill animitate & tepore, partim ex prudentia humana, suggerente, quòd pacis causa oporteat remissiùs agere &c. de pristino evangelizandi ardore nonnihil remisit: fuitque hoc ejus peccatum veniale, non lethale.*

labri motionem Explanatores communiùs intelligant ſolam *ejus amotionem ab epiſcopatu*, (1) aliasque temporarias calamitates eidem, niſi pœnitentiam egerit, immittendas; tamen non deſunt, qui per eam ſignificari velint etiam cœleſtis patriæ amiſſionem, quam is incurriſſet, ſi majoris perfectionis ſtudium intermiſiſſet; niſi excuſſo tepore ad priſtinum fervorem rediiſſet.

Jam verò quid his reponunt illi animarum zelotes? qui, non obſtante illo, cui immerſi hærent, languore, tamen cœli ſecuros ſe ideo credunt, quia pro DEO multùm laborant, malis obſiſtunt, plurimaque adverſa tolerant; licèt interea ſuas functiones religioſas pro inveterata conſuetudine tepidè ſolùm & oſcitanter peragant. Nam omnia hæc, imò his plura & majora egit, tulitque memoratus Præſul Epheſinus; & tamen periculum perdendæ

(1) Cornelius in vers. 5. *candelabrum, id eſt, Eccleſiam à te auferam, ne ſis ejus caput & epiſcopus.*

dendæ ſalutis adiiſſet, niſi majori conatu & ardore ad excelſiorem ſanctitudinis apicem evolaſſet. Nempe *judicia DEI abyſſus multa;* (m) & hinc non ſolùm adoranda ſunt, ſed etiam timenda; & quidem eò ampliùs metuenda; cùm ejusmodi exempla ultima etiam hæc ſæcula exhibeant.

Sancta Thereſia, illa non minùs pia quàm magnanimis ac prudens virago, niſi quandam cum quodam, honeſtam licèt, periculoſam tamen familiaritatem abrupiſſet: ſi mediocri Illa virtute contenta vixiſſet, nec ad altiorem evadere contendiſſet, (ùt ipſamet divino admonitu intellexit) ad tartara præceps ruiſſet. Proin verum eſt, dari aliquos, qui niſi fiant ſancti, erunt damnati: qui ne quidem partem habebunt cum DEO, niſi toti ſint DEI.

Et certè ſi multi illorum, qui vocantur ad ſtatum religioſum, incurrunt æterni interitûs periculum, niſi invitanti obediant Numini; cur non

(m) Pſal. 35. v. 7.

etiam credibile ſit, haud paucos pariter, qui ad ſectandam ſanctitatem incitantur, idem diſcrimen ſubire, ſi ſurda aure divinam hanc vocem prætereant? Si enim neglectus vocationis ad ſacrum Ordinem tale periculum inducit, cur non idem etiam accerſere poſſit neglectio vocationis ad ſolidam pietatem? Ex his patet, veritati omnino conſentaneam eſſe concluſionem illam, quam initio probandam aſſumpſi, nempe probabile eſſe, exiſtere aliquos, pro quibus medium non datur: qui niſi fiant perfecti, erunt damnati: qui, niſi fuerint ſancti, erunt reprobi.

II. *Probabile eſt, ex horum numero te eſſe.*

II. Jam verò ex horum numero probabiliter etiam te eſſe, qui hæc legis, luculenter convincunt tot tamque ſingulares naturæ dotes, queis excellis: tanta copia tot excellentium gratiarum, queis affluis: tot tamque præſtantia acquirendæ virtutis præſidia, queis abundas: illa denique peculiaris Providentia, quæ te ab ineunte ætate per tot diſcrimina & mirabiles eventus,

tus, per tam varios anfractus ac præcipitia ad illud vitæ genus perduxit, in quo vi vocationis tuæ ad ſummam perfectionem eniti ſub gravi noxa teneris. Id præterea ſat clarè probant ſupera illa lumina, quibus perpetuò illuſtraris: continui illi inſtinctus, queis ad ſanctimoniam impelleris: illi morſus animi ac terrores, quibus tepens identidem corriperis, angerisque. Hæc, inquam, magno certè indicio ſunt, Supremum Numen amplius quid à te præ aliis petere; &, nî morem geſſeris, amplius quid tibi etiam minari.

Sicut enim DEUS, utpote *qui diſponit omnia ſuaviter, & attingit à fine uſque ad finem fortiter*, (n) ſicut, inquam, DEUS teſte S. Bernardino Senenſi, quando aliquem ad magnum quoddam facinus explendum deſtinat, etiam illi de neceſſariis ad id præſidiis providet; (o) ita vice verſa, dum

(n) Sap. 8. v. 1. (o) *Quandocunque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam ſingularem, ſeu ad aliquem ſublimem ſtatum, omnia chariſmata donat, quæ illi perſonæ ſic electæ, & ejus officio neceſſaria ſunt.* Sermone 1. de S. Joſeph. in proœmio.

quemquam ejusmodi subsidiis instruit, signum est, mundi Moderatorem pariter à tali singulare quicquam ac generosum exigere. Sic dum Moysen suæ legis latorem, Josue populi sui ducem, Jeremiam Israëlis prophetam, Joannem Christi præcursorem, Josephum ejusdem nutritium constituit, in eos quoque requisitas ad id muneris prærogativas liberali manu congessit. Sed tamen vicissim etiam ab iis magnam sanctitudinem, heroicam fidelitatem, insignemque in bono constantiam requisivit. Et quis scit, an non fortè æterna beatitudine orbati fuissent, si divinam intentionem suo effectu frustrâssent. Certè eos hoc casu aliquod salutis periculum incursuros fuisse, à probabilitate adeò alienum non est.

Atqui etiam te magnis è cœlo adjumentis ditatum fuisse, grata mens inficiari haud potest. Nam exempla quæ vides: institutiones, quas audis libri, quos legis: annua exercitia, geminæ collectiones, assiduæ admonitiones,

nes, quotidianæ meditationes, & conſcientiæ perſcrutationes, tamque frequentes ſacrorum myſteriorum uſurpationes affatim demonſtrant, abundare te remediis ſolidandæ virtutis. Cùm ergo providum illud omnis boni Principium media ſubſidia ad aliquem conſequendum finem non conferat, quin hunc ipſum etiam finem intendat; quis dubitet? illud à te magnam quoque perfectionem expoſcere? Quis ergo neget? inſuper credibile eſſe, DEUM fors etiam tibi excelſum aliquem beatitudinis gradum ita definitè deſtinâſſe, ut niſi ad illam in individuo ſedem per ſublimem pariter ſanctitatem eluctatus fueris, ad nullam inferiorem ſis admittendus; ſed quòd, ſubtractis efficacioribus auxiliis, in gravia poſtmodum ſcelera lapſus, æternùm ſis periturus. Verbô: quis inficias ibit, probabile te perdendæ ſalutis periculum incurrere, niſi acquirendæ pietati ſolidæ pro viribus te impendas? Adeoque etiam te illorum ex numero eſſe, pro quibus medium non datur; qui, niſi fiant perfecti,

erunt damnati: qui, nisi in cœlo valde sublimes sint, erunt nulli.

Jam autem in tanti momenti negotio nihil dubio eventui committendum esse, ratio suadet; ubi agitur de æternitate, tutiora esse seligenda, fides jubet: ubi damnum irreparabile est, nihil periclitandum esse, sui amor dictat. Licèt ergo certum non sit, mediocri cum probitate te salvandum haud esse; cùm tamen credibile sit, in eorum te classe versari, qui, nisi fuerint sancti, erunt reprobi; impia temeritas foret, ancipiti aleæ rei summam exponere. Quid enim? an non temerarium quid est, discriminis hujus gravitatem agnoscere, illius sequelas pertimescere, eas etiam horrere; & tamen in illud cæco impetu se conjicere? An non vecors dementia est, has veritates scire, eas firmiter credere, etiam alios docere; & tamen temporis veterno immersum, profectûs spiritalis immemorem vivere? Quid tandem demens vecordia est, si hæc non est?

At

At fortè ejusmodi decretum, ais, de me non concepit DEUS: fortè Is meam beatitatem uni solummodo gradui non ita alligavit, ut ad nullum inferiorem alium admittere statuerit. Fortè!.... ô vox lacrimis digna! fortè non ita alligavit: fortè non ita statuit. At fortè, ô temerarie! fortè ita annexuit: fortè ita decrevit. Ergóne fortuito casui integram æternitatem expones? ergóne incerto eventui animam, cœlum committes?

Vah! præcipitem mortalium imprudentiam! In pangendis fœderibus, ineundis contractibus, elocandis pecuniis, domibus, prædiis, certiora ubique & tutiora prensamus. solùm hìc incerta & periculosa sectamur. Aliorsum profecturi, securiorem viam ingredimur: per pontum navigaturi, firmiorem navim conscendimus: medicinam sumpturi, saniorem præferimus. solùm hoc in negotio, quod obscurum, anceps, & in casu positum est, amplectimur. Vah! prodigas cœli mentes! quandonam tan-

dem eâdem cœleſtia, qua terrena, ſolicitudine curabimus?

Noli, quæſo, quicunque hæc legis, tibi æternùm nocere. Me ſi audis, quod prudentius eſt, elige. Nam, licèt fors eorum ex numero haud ſis, pro quibus medium non datur; licèt fors DEUS mitiora circa te decreta formaverit; tamen conſtanti conatu comparandæ perfectioni te impendiſſe, nunquam pœnitebit; neglexiſſe autem, fors ſempiternùm dolebit. Certè eam neglectui habuiſſe, & nocuit multis, & pœnituit innumeros. Idem ne tibi quoque eveniat, meliora propone, & ſequentem veritatem aureis literis cordi inſcribe: nempe *dantur nonnulli, qui, niſi fiant ſancti, erunt reprobi.* Ex horum claſſe etiam me eſſe, ſpectatis tot tamque copioſis naturæ & gratiæ donis probabile eſt. Ergo probabile eſt, me fore damnandum, perfectus nî fiam. His ſeriò perpenſis, quid ſtatuas, vide. Res, quæ in diſcrimen vocatur, eſt ipſa anima. Remedium eam in tuto ponendi eſt ſolida

lida virtus. Huic procurandæ nisi impensè labores, periculum perdendæ salutis non evades. Inde, quid agendum tibi sit, conclude.

O Domine, *terribilis in consiliis super filios hominum!* (p) *timeo* mihi *à judiciis tuis;* (q) quia sunt *abyssus multa.* (r) Sed ampliùs mihi timeo à perversitate mea; cujus pariter est abyssus multa. Nam ea nî foret, non esset, cur Justitiam tuam formidarem; hæc enim exasperat rigorem reddendæ rationis. hæc inducit in periculum perdendæ salutis; dum facit, ut genuinam pietatem in postremis habeam. Sed en! *abyssus* malitiæ meæ *invocat abyssum* Misericordiæ tuæ. (s) da, ut posthac secundùm Apostoli tui monitum *cum metu & tremore salutem meam operer*, (t) *& per bona opera certam meam* ad cœlum *vocationem faciam.* (u) Fac, *ut cautè ambulem, non quasi insipiens, sed ùt sapiens, redimendo tempus;*

(p) Psal. 65. v. 5. (q) Psal. 118. v. 120. (r) Psal. 35. v. 7. (s) Psal. 41. v. 8. (t) Phil. 2. v. 12. (u) 2. Petr. 1. v. 10.

quoniam dies vitæ præteritæ *mali sunt.* (x) Da, ut posthac acquirendæ perfectioni me totum quantum impendam. Ne fortè & ego *gemam in novissimis;* (y) ac etiam me attonet illud tuum per Ezechielem intentatum fulmen: *Ecce! ego extendam manum meam super te, & auferam à te justificationem meam.* (z)

§. III.

Industriæ mitigandi hunc rigorem reddendæ rationis, & evitandi hoc periculum perdendæ salutis.

UT timor malorum ob neglectam virtutem incurrendorum, quem hucusque inculcavimus, salutaris ac efficax sit, eundem non sterilem esse, sed practicum oportet & talem, qui intellectum inducat, ut scrutetur: & voluntatem impellat, ut amplectatur illa remedia, quibus ea, quæ timentur, detrimenta eò certiùs declinari, &

(x) Ephes. 5. v. 15. (y) Prov. 5. v. 10. (z) Ezech. 16. v. 27.

& fortiùs repelli queant. Hunc in finem quasdam suggeram industrias, 1. mitigandi hunc rigorem reddendæ rationis; 2. avertendi dictum periculum perdendæ salutis.

I. Ad leniendam illius curiæ cœlestis severitatem, multum conferet diligens observatio sequentis documenti, nempe ut quodlibet opus ita peragamus, ac si eo finito mox ab illo osseo Lictore, lethali spiculo feriendi, & ad illud Christi tribunal rapiendi essemus, *ubi referet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* (a) Admonitionem hanc suis olim subditis dederat magnum illud Africæ lumen Cyprianus: *actus nostros,* inquiens, *ita peragamus, veluti imminenti jam Judici mox rationem reddituri.* (b)

I. *Industriæ mitigandi rigorem reddendæ rationis.*

Quàm utilis verò hæc praxis sit, nobis declarat S. Hilarius his verbis: *beatus erit, quisquis non sine memoria instan-*

(a) 2. Cor. 5. v. 10. (b) In Symboli expositione.

instantis judicii omnia gesserit. (c) Et certè *nihil est*, teste Ambrosio, *quod magis proficiat ad vitam honestam, & quod ad bene operandum nos ampliùs impellat, quàm si credamus, hujus ipsius actionis eum judicem futurum, quem occulta non fallunt, indecora offendunt, & honesta delectant.* (d) Quis enim adeò mentis inops erit, ut sciens & prudens ea ipsa operatione lædere audeat illum, à quo propterea se brevì judicandum, ac severè puniendum esse, viva sibi fide persuasum habet?

Quòd autem id nihilominus passim fiat, teste regio Vate inde provenit, *quia nemo est, qui* hæc *recogitet corde;* (e) qui seriò perpendat terribilem illam veritatem à Christo per Matthæum orbi promulgatam, nempe: *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo.* (f) Hoc ergo tonitru perculsi, dato priùs monito dociles modò aures præbeamus, omnesque actiones nostras ita obeamus,

(c) In Psal. 118. (d) Lib. de officiis. (e) Isa 57. v. 1. (f) Matth. 12. v. 36.

mus, quasi statim de illis supremùm responsuri. Hac enim ratione divinæ Nemesi potiorem irascendi, plectendique materiam subtrahemus.

Alteram industriam, tremendi illius Quæsitoris iram placandi, suggerit Hypponensium Præsul Augustinus, dicens: *ascende tu tribunal mentis tuæ: esto tu ipse tibi judex*, (g) propriusque simul actor & reus: in domestico conscientiæ foro tu ipsus in te, semoto partium studio, sententiam ferto. Optimam hanc methodum esse, rigidum illud examen præveniendi, docet ipse Apostolus, hæc ad Corinthios scribens: *si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremus:* (h) nec non Ecclesiasticus, *ante judicium*, inquiens, *interroga teipsum, & in conspectu DEI invenies propitiationem.* (i) Id autem ut rite executioni mandemus, necesse est, ut nunc prævia accuratione præstemus ea omnia, quæ illo furoris die sapientissimum æquè ac justissimum Numen

(g) In Psal. 49. (h) 1. Cor. 11. v. 31.
(i) Eccli. 18. v. 20.

Numen in opus deducet. Nam tunc omnia *discutiet*, omnia *puniet*. Ibi enim incidemus in DEUM *illuminatum*, qui singula cognoscet: in DEUM *irritatum*, qui malum quodvis plectet. Mutuemus nunc ergo illuminati illius judicii radios, ut iis nostros omnes nævos matura indagine detegamus. Armemus modò nosmetipsos ultricibus telis irritati hujus Judicis, ut spontanea ultione de nostris piaculis vindictam jam nunc sumamus; & non erit, quod tunc timeamus.

Primum effectui dabimus, si post accuratam animi perscrutationem, apto tempore locoque solitario instituendam, curaverimus, ut conscientiæ arbiter per sinceram, claram, integram exomologesin in nostræ mentis crystallo videat omnia, quorum illa nos arguit: omnia, quæ DEUS ibi cernit: omnia denique, quæ sub finem mundi in valle Josaphat universus ibi orbis videbit, & quidem eodem prorsus modo, eademque claritate ac distinctione quoad speciem & numerum,

rum, (quantum fas erit) qua ibidem omnium oculis exposita patebunt. Hunc in finem iisdem omnino phrasibus nostra errata sacro Judici exponamus, quibus utetur dœmon, quando nos de hoc illóve delicto olim est accusaturus. Ac simul omnia omnino, quæcunque animum angunt, & pungunt, peccata etiam aliena & occulta, etiam boni omissiones, ac muneris neglectiones ejusdem auribus singillatim committamus. Incredibile dictu est, quanto morituris solatio, & judicandis præsidio prævia ejusmodi inquisitio nostriqúe accusatio sit futura.

Secundum quod attinet, præmissa satisfactione Justitiam placare conemur in hac vita, ut prænumerata solutione mulctam effugiamus pendendam in altera; *cessat enim vindicta divina*, (ùt nobis sponsor est Anselmus) *si conversio & debiti solutio præcurrat humana. Peccata quidem* (ùt docet Augustinus) *impunita esse non possunt: punienda sunt aut à te, aut à DEO;* (1) nihil-

(1) In Psal. 41.

nihilominus cùm æquissimum Numen in eundem ob idem nunquam bis animadvertat; si admissa offendicula fuerint à te castigata, non ampliùs vapulabunt à DEO.

Ergo spontanea tuiipsius punitione quidquid pœnarum restat, ultroneus modò vindex exsolve. Nunc *sponte peccata tua punias*, (Chrysostomi monitum est) *ne pendas non sponte supplicia.* (m) Nam *melius est modò vitia purgare*, (secundùm Thomæ à Kempis consilium) *quàm in futuro purganda reservare.* (n) hìc enim eorundem castigatio & levior est & brevior; ibi verò & duiturnior erit & gravior.

Porro patratas à nobis noxas triplici potissimùm modo expiare possumus, 1. eliciendo frequentes ac intensos perfecti doloris actus. 2. per Ecclesiæ indulgentiam procurando nobis plenam culparum pœnarumque veniam. 3. exercendo opera lustralia, v. g.

(m) Hom. 31. in Epist. ad Hebr. c. 10.
(n) Lib. 1. c. 24. de imita, Christi.

v. g. largiendo eleemosynas, patienter tolerando adversa, præcipuè morbos : per liberè susceptas austeritates corpori ægrè faciendo, videlicet usu cilicii & flagelli, abstinentia & jejunio, & quæ aliæ his similes carnis afflictationes sunt. Inquire proin, quomodo circa ista te habeas ? Examina, an nil anxio morsu animum cruciet? Num omnia & rite fueris confessus? Insuper vide, qua ratione deinceps explicatam paulò ante satisfaciendi methodum in consuetudinem deducere velis, ut divinæ Justitiæ in hac adhuc vita tum anticipato examine, tum maturata solutione, quod debes, persolvas ; hacque solertia rigorem severissimi illius tribunalis providè mitiges. Et *certè satis delicatè nobiscum agit DEUS;* (Augustini observatio est) *cùm in nostra potestate posuerit, qualiter judicemur.* (o) An non ergo nobismet ipsis stolidè infensi sumus, si tanta hac clementia uti, vecordes negligamus ?

(o) Augustin. Serm. 47. de Sanctis. S. Eligius hom. 8.

Cùm igitur (ùt notat Gregorius Magnus) *vitari terror judicis non nisi ante judicium possit ; postquam verò is in illo tremendo examine sederit, placari non possit ;* (p) *ergo* (concludit Bernardus) *judicemus nos ipsos fratres, & terribilem illam exspectationem studeamus præsenti declinare judicio.* (q) *Ibi enim in DEI judicio,* (ùt observat Chrysostomus) *quod nos in horas manet, nec erit resistendi virtus, nec patientiæ locus, nec defensionis tempus, nec effugiendi facultas, nec latendi possibilitas, nec apparendi securitas, nec satisfactionis utilitas ; & inter tantas angustias nil remanet misero peccatori, nisi luctus feralis & tremor horribilis illius sententiæ ferendæ, quæ etiam contremiscere fecit cardines terræ, & columnas cœli, nempe sanctissimos quosque & sapientissimos virorum.* (r) Itaque hac in re modò soliciti agamus, quod tunc egisse optabimus ; & *reddendæ rationis* asperitatem plurimùm leniemus.

II. Alte-

(p) Lib. 14. Moral. cap. 34. (q) In Psal. qui habitat. (r) Hom. 41. ad pop.

II. Altera nobis timendi ratio eſt periculum *perdendæ ſalutis*, quod non paucos probabiliter incurrere diximus, qui ad perfectionem vocati, divinæ voci rebelles obſiſtunt. Illud ergo ut eò certiùs evitemus, indagandum modò, & è medio tollendum princeps obſtaculum eſt, quod fortiori niſu piis conatibus obſtat, eosque ſperato eventu fruſtratur. Id autem duplex eſſe conſuevit, nempe vel res quædam abdicanda, cui nimio affectu adhæremus: vel actio quædam ponenda, à qua maximè abhorremus. In hoc enim conſiſtit ille *horror difficultatis ſeu labor certaminis, qui* teſte Aſceta Kempenſi *multos à profectu retrahit.* (s) iſte enim infamis ille ſcopulus eſt, ad quem alliſa tot pia deſideria naufragantur: hic ille *leo in via* virtutis *eſt*, (t) qui non paucos ab ea tum ineunda, tum proſequenda ementito terriculo abſterret, repellitque.

II. *Nec non evitandi dictum periculum perdendæ ſalutis.*

Geminum, quo huic malo medeamur, remedium eſſe, idem auctor docet,

(s) De imit. l. 1. c. 25. (t) Prov. 26. v. 13.

cet, nempe 1. *subtrahere se violenter, ad quod natura vitiosè inclinatur.* 2. *vincere viriliter ea, quæ sibi magis gravia & contraria sunt.* (u) Abruptio vinculi, quo cuidam rei creatæ prava affectione adstringimur: executio operis, ad quod exequendum singulariter à DEO impellimur, sunt illa triumphalis porta, per quam sanctitudinis callem generosi ingredimur, adeoque & periculum perdendæ salutis securi declinamus. Insignis enim ejusmodi reportata de seipso victoria, patratusque heroicè actus felix auspicium est obtinendæ virtutis solidæ: uberrimus fons est sublimium gratiarum: probabile pignus est futuræ beatitatis.

Hujus rei illustria nobis documenta suppeditant Sanctorum annales, quorum pietatis primordia plerumque habuerant ejusmodi initia. Martinus, Calybita, Gualterus, Borgias, Xaverius, aliique innumeri melioris vitæ exordium grati adscribunt pallii frusto pauperi donato, relictæ domui paternæ,

(u) De imit. Christi. ibid.

næ, veniæ inimico datæ, ſpretis aularum deliciis, ulceri ſenſim ſorbillato. Ut proin dubitari minimè poſſit, heroico tali facinore, quo vel animus ab amore rei creatæ avellitur, vel actio quæpiam valde ardua ponitur, ſanctimoniæ adyta aperiri, miros in probitate progreſſus fieri, adeoque credibile illud perdendæ ſalutis periculum, de quo priori paragrapho actum, à talibus dextrè evitari; niſi fors denuo, laſſatis ſibi remum eripi, ſeque teporis impetu retro abripi ſinant.

Itaque generoſa in auſa aſſurge, & animum Abrahami, ſuum Iſaac immolaturi, fortiter indutus, gladiumque ſpiritûs in ictum jam jam vibrans, percontare ex temetipſo, quænam ſit illa res creata v.g. quis ſit locus, perſona, officium, honor, commoditas, cui mens vehementiori affectu adglutinata adhærerit, & quam ſibi DEUS à te ſacrificari inſtantiùs petat? moxque lynceo obtutu omnes cordis latebras acutè perluſtra, quámve appe-

titionem Divinum Pnevma, intento quasi digito, tibi designet, attende; detectam sancto protinus zelo armatus, tuique odio stimulatus, è latibulis suis in lucem protrahe; protractam aræ crucis impone; impositam, ut ocyus victimam Amor sacerdos immolet, jube.

Id si feceris, sique ejusmodi sacrificium sæpius iteraveris, confide, etiam te cum Abrahamo cœlesti benedictione donandum, ac etiam tibi dictum iri: *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti* huic affectioni tuæ *propter me; benedicam tibi, & multiplicabo* tibi gratias *sicut stellas cœli*, & sicut arenam, quæ est in litore maris; *possidebis* animam tuam, *& benedicentur* labores tui, *quia obedisti voci meæ.* (x) Cœlestia igitur hæc dona ut felicem te beent, commendatis hactenus industriis diligenter utere, & nullam timendi causam habebis nec *rigorem reddendæ rationis*, nec *periculum perdendæ salutis.*

CAP. III.

(x) Gen. 22. v. 16. & seq.

CAPUT III.

DE SPE BONORUM PER VIRTUTEM SOLIDAM ACQUIRENDORUM.

PErculsa, dejectaque relatorum antea malorum formidine mens, denuo erigenda est *spe bonorum* per virtutem solidam acquirendorum, ejusque dulcedine ad sanctimoniam solertiùs procurandam, fortiter impellenda. Quàm efficax autem comparandæ sanctitatis incitamentum sit firma spes emolumentorum, assidua pietatis cura in hoc etiamnum orbe obtinendorum, documento nobis sunt veteris testamenti Patriarchæ & Vates præsertim regius, quibus cœlestium ejusmodi proventuum fiducia non solùm in adversis solatium, in laboribus fomentum, in periculis refugium, in vexationibus

ſcutum, in omnibus denique procellis anchora fuerat, portus & pharos; ſed inſuper ſectandæ probitatis perenne calcar exſtiterat, ac potens invitamentum. Hæc enim remiſſos animabat, abjectos erigebat, deficientes ſuſtentabat, & ad proficiendum identidem acriter incendebat. Hoc igitur ſtimulo ut & nos ad progrediendum in via ſpiritûs incitemur, geminum, qui inde ſperandus eſt, fructum paucis explanabo, nempe beatitatem vitæ, & quietem mortis, qua tales à benigno Numine prænumerata merce etiamnum vivi munerantur. Nam ſolùm animæ perfectionis ſtudioſæ I. beatè vivunt: II. placidè moriuntur.

§. I.

Soli perfectionis ſtudioſi beatè vivunt.

I. *Ob charismata, queis gaudent.*

I. ADeò ſiniſtra nonnullorum animis de piorum vita opinio inſidet, ut nihil triſtius illis, horridius nihil, tetricumque magis depingi poſ-

ſe

ſe videatur. Dum enim virtutem cogitant, formam ſibi fingunt hirſutam, pallidam, rugoſam, ciliciis undique cinctam, flagellis miſerè cruentatam, jejuniis fœdè emaciatam, perpetuò lacrymis gemitibusque indulgentem, pectusque ſaxis aſperè tundentem; à qua omne gaudium, riſus, ſolamen, voluptas & amœnitas omnis quàm longiſſimè abſint, exulentque.

At verò cæcorum hoc de coloribus judicium eſſe ac fanaticum phantaſiæ ludibrium, ex dicendis conſtabit, queis oſtendam, pietati ſolidæ addictos, in hoc adhuc procelloſo mundi æquore dies mirè tranquillos felicesque ducere, idque triplicem ob cauſam, 1. ob charismata, queis gaudent: 2. ob ſolatia, queis affluunt: 3. ob providentiam, qua ſingulariter proteguntur, foventur, reguntur: beante DEO prænunciis ejusmodi futurorum deliciis fideles ſibi ſervos, in hac adhuc miſeriarum valle degentes; non ſecus ac olim Iſraëlitas, etiamnum in deſerto errantes, *voluntaria*

mannæ *pluvia* (a) inundavit; Christique discipulos in monte Thabor cœlestibus lautitiis saginavit.

Quod attinet ad superna, queis gaudent charismata, ea respondent quotuor dotibus corporum gloriosorum, quæ modo quodam morali animabus perfectis anticipato munere à cœlo communicantur; quæve quatuor quasi portæ sunt, per quas illa conscientiæ *pax, quæ exuperat omnem sensum*, (b) in easdem triumphans ingreditur. Sicut enim obscuritas intellectûs, languor voluntatis, appetitionum rebellio, hebes crassitudo memoriæ non nisi terrestria recolentis, illi per Jeremiam descripti *quatuor venti à quatuor plagis sunt*, (c) qui tantas in mortalium animis procellas excitare, omnemque cordis serenitatem fugare consueverunt; ita è contrario *claritas* intellectûs in cognoscendis veritatibus æternis: *agilitas* voluntatis in patrandis operibus bonis: *subtilitas* memoriæ

(a) Psal. 67. v. 10. (b) Phil. 4. v. 7.
(c) Jerem. 49. v. 36.

riæ in formandis cœleſtibus ideis, & quædam mentis (ùt ajunt) *impaſſibilitas* ex aſſidua appetituum refrænatione orta; hæc, inquam, ſunt illi quatuor fontes Paradiſi, qui animi hortum irriguo tractu fœcundant; illudque beatæ quietis, ac quietæ beatitudinis regnum conſtituunt, quod qui intra ſe poſſident, omnes terræ Monarchas felicitate immenſùm antecellunt. His autem quatuor dotibus animas illorum, qui virtuti ſolidæ ſtudent, prærogativo omine in hac etiamnum vita excellere, haud difficulter oſtenditur.

Nam primò talium intellectus per cœleſtia, quibus identidem illuſtrantur, lumina tantam acquirit *claritatem*, ut inter tot erroneas, queis orbis obſcuratur, de vera pietate opiniones, *quaſi ſtella matutina in medio nebulæ* refulgeat, (d) verum à falſo, bonum à malo critica luce minutim diſcernendo. Veritatem axiomatum Evangelii inſtar pellucidi ſolis intimè penetrant:

(d) Eccli. 50. v. 6.

netrant: octo beatitudines, quæ ab aliis magnæ calamitates creduntur, genuinæ ipsis beatitates sunt, omnium votis ambiendæ. Latentem in contemptu gloriam, reconditas in paupertate divitias, resultans ex adversis solatium (quæ mundanis repugnantes sibi mutuò chimæræ videntur) acutissima mentis acie perspiciunt. Nominis famam, corporis commoda, sensuum illecebras vanitatem vanitatum ac inane nihilum esse, ipsaque umbrâ quid minus, adeò clarè perspicuéque agnoscunt, ut satis mirari nequeant, Christianos reperiri, qui ista æstiment, sectentur, & ament. Verbô: ex numero illorum sunt, *quibus datum est nosse mysteria regni DEI.* (e) Quantæ autem tranquillitatis scaturigo viva horum cognitio sit, rerum inexpertis difficile captu est.

Porro ex hac intellectûs claritate unà profluit mira voluntatis ad quodvis bonum *agilitas* & felix propensio omnem DEI nutum placitumque summa

(e) Matth. 13. v. 11.

ma cum promptitudine exequendi. Ejusmodi homines ſoliſequia diceres, divini Solis ductum famulo flexu continuò adorantia. Similes eos eſſe illis angelis affirmares, qui ſuccincti zonis, thronum Numinis circumſtant, ad omnes ejus voluntates in momenta parati. (f) Onus, quod aliis grave, ipſis leve eſt. Jugum, quod aliis durum, ipſis ſuave videtur. Injuriarum ſpinas intrepida manu decerpunt: deſpectionis abſynthium avido ore exhauriunt: projectos in ſe calumniarum lapides ùt gemmas colligunt. Tres actus Theologicos virtutesque morales tanta facilitate eliciunt, frequentant, intendunt, ut eorum vita non niſi contexta ex iis aurea ſeries ſit, & connectens terræ cœlum catena. Spontaneas corporis afflictationes, conſuetas pietatis exercitationes, congruas ſtatui functiones non aſperata in rugas fronte, non animo reluctante, & quaſi triſtis mancipatûs pertæſi; ſed alacres & vegeti obeunt, conſtantes & fervidi perficiunt, memores illius Apoſtoli

(f) Pſal. 102. v. 21.

ſtoli ſententiæ: *hilarem datorem diligit DEUS.* (g) Quæ exiſtimationi, proprio amori, & cuticulæ adverſantur, tantùm abeſt, ut horreant, ut potiùs generoſi prenſent, ſerioque exoptent. In ſumma: tales (ùt teſtatur Bernardus) *ad omnia viæ & vitæ hujus religioſæ exercitia non ſolùm ambulant, ſed currunt: imò potiùs volant, ut eis & vigiliæ breves, & cibi dulces, labores non ſolùm tolerabiles, ſed & acceptabiles videantur.* (h) O igitur mortales verè beatos! qui adeò prompti ad bonum, agilesque ſalebroſam virtutis ſemitam pervolatis! O quis emanantem inde beatitatem, quis portatilem hunc veſtrum animi paradiſum dignis coloribus adumbrabit?

Præterea hanc voluntatis agilitatem comitatur inſignis quædam & ſpiritalis memoriæ *ſubtilitas*, qua præſentem ſibi DEUM adeſſe, in cordis templo morari, omnia audire, & intueri, ejusmodi animæ continuò recolunt: qua

(g) 2. Cor. 9. v. 7. (h) Serm. 3. de Aſcenſione Domini.

qua illuſtrationibus divinis & impulſibus internis nunquam non vigiles attendunt, & conſcientiæ ſtatum identidem acutæ rimantur. Præcipuè autem mirè ſubtiles ſunt in detegendis appetitibus pravis, in rememorandis deflendisque lapſibus præteritis, in perſcrutandis eorundem principiis, in amovendis denique obſtaculis, quæ morum emendationem & ſpiritûs profectum præ aliis impediunt, aggravant, ac remorantur; idque cum tanta dulcedine, ut interiorem, qua diffluunt, pacem proditores oculi vultusque amico ſidere loquantur.

Iſtam ſubtilitatem ponè conſequitur felix illa *impaſſibilitas* mentis, qua tales animæ *loricam fidei* indutæ, *ſcuto fidei* tectæ, *galea ſalutis* munitæ, & *gladio ſpiritûs* armatæ, (i) omnes mundi fallacias, ſtygis aſſultus, carnis illecebras victrici niſu cataphractæ retundunt; ita ut nullus illicitæ cupiditatis ſenſus, nullius vetitæ rei amor, vitioſa cupiditas nulla gravius animo vul-

(i) Ephes, 6. v. 14. & ſeq.

vulnus inferre queant. Quin imò ita plagis imperviæ redduntur, & usque adeò malis superiores evadunt, ut inter prospera & adversa sibi semper constent: ut nec adversis dejiciantur, nec prosperis efferantur; sed æquabili moderamine suis usque affectibus magnanimæ dominentur.

Rem ita se habere testatur Chrysostomus, ita differens: *virtus tam est invicta, tam nihil cedens hujus mundi varietatibus, ut super malitiæ retia volitans, quasi è quadam sublimi specula omnia humana despiciat, nihil, quod aliis molestum est, sentiens. Et sicut is, qui supra excelsam petram stat, fluctus ridet, quos videt ad petram magno impetu disrumpi, ac protinus in spumam solvi; ita & virtuti vacans, in securo constitutus loco, nihil insuave fert à rebus turbulentis, sed tranquillus animo & quietus sedet.* (1) O igitur verè supparem Angelicæ impatibilitatem, quæ eò gloriosior, quò ob naturæ conditionem difficilior est.

At

(1) Hom. 1. in 2. Corinth. & hom. 23. in Genes.

At nondum hìc ſiſtit Solis æmula virtus; inſuper teſte eodem Sancto *plane invictos facit ſuos, continuámque præbet voluptatem, ita ut ne quidem ſentire eos ſinat rerum iſtarum inæqualitatem. Quemadmodum enim ſi exîguam ſcintillam in magnum pelagus injicias, eam protinus extinxeris; eodem modo moleſtia omnis, quamlibet ingens, ſi in animam bene ſibi conſciam inciderit, confeſtim perit, & evaneſcit. Exemplo nobis ſit B. Paulus, qui, cùm videret quaſi nivis cumulos tentationes quotidie ingruentes, nihilominus non aliter, quàm ſi in medio paradiſo vixiſſet, ita gaudebat, geſtiebátque.* Hæc S. Archi - Præſul Conſtantinopolitanus. (m)

Ex quibus luculenter patet, homines perfectionis conſtanter ſtudioſos quatuor dotibus corporum glorioſorum modo quodam morali in hoc adhuc orbe anticipatò beari. Quantæ autem felicitatis origo, quamque ſolidæ pacis principium hæc charismata ſint, non calamo exprimi, ſed ſola

(m) Idem ibidem.

experientia percipi poteſt. O igitur animas terque quaterque beatas, quibus in hac adhuc lacrymarum valle felices illæ conceduntur prærogativæ, quêis Sanctorum olim corpora per totam æternitatem dotata fulgebunt; cùm eæ intellectûs *claritate* Archangelos, voluntatis *agilitate* Seraphinos, memoriæ *ſubtilitate* Cherubinos, mentis *impaſſibilitate* ſeu æquabili ſemper ſtabilitate ipſos etiam *Thronos* æmulentur. Quis ergo contradicat Chryſoſtomo dicenti, *tales in terrarum adhuc regione degentes, quaſi jam in cœlis vivere?* (n) Præcipuè ſi inſuper perpendantur ſtupenda illa, queis affluunt, ſolatia.

II. *Ob ſolatia, queis affluunt.*

II. Horum duo genera numerantur, primò illorum, quæ ſolo animo concipiuntur; ſecundò eorum, quæ inde etiam in noſtros ſenſus totumque corpus propagantur. Hæc ultima quàm magna ſubinde, quamque intenſa exiſtant, argumento nobis ſunt (ùt plures alios ſilentio præteream) Sancti Antonius,

(n) Hom. 20. in Matth.

tonius, Ephrem, (o) Ignatius, geminiqúe Franciſci Seraphicus & Xaverius, qui tanto non rarò dulcedinis torrente inundabantur, ut his ad ſatietatem guſtandis, noctes iis nimiùm breves, præcordia nimis anguſta, Solis curſus nimiùm præceps fuerit viſus. Imò ſubin, tam copioſis voluptatibus ferendis jam impares, eisdem modum à cœlo poni ardenter petierunt; ſanctéque confeſſi ſunt, omnes tolerantias, labores, & ærumnas in virtutis palæſtra pluribus luſtris exantlatas, unica ejusmodi guttula centuplici fœnore compenſari; nec immeritò. nam hæ cœleſtes deliciæ prænuncium quoddam divinæ illius menſæ nectar ſunt, *cui comparata omnis aliunde jucunditas* teſte Bernardo *mœror eſt: omnis ſuavitas dolor eſt: omne dulce amarum eſt: omne poſtremò, quodcunque delectare poteſt, moleſtum eſt.* (p)

Et profectò ſi Archimedem tanto tamque ſingulari gaudio affecit inven-

(o) S. Ephrem Tom. 3. ſerm. de vita religioſa. (p) Epiſt. 114.

ta ſubitò mechanica quædam demonſtratio, ut illico è balneo avolans, inſtar delirantis citato greſſu domum properârit, illud identidem ſummo clamore ingeminando: *reperi! reperi!* O qualis ergo quantaque voluptas ea erit, quæ ex contemplatione veritatis cujusdam æternæ in noſtro corde pleno flumine redundabit? Quis explicare poterit teneros ſenſus gaudiaque limpidiſſima illius animæ, quæ Dilecto ſuo amoris vinculo intimè unita, cum Sulamitide exclamare poteſt: *inveni, inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* (q) Ah! Philippos Nerios nos eſſe, Thereſias, Stanislaos, Catharinas Senenſes oporteret, ad has delectationes rite penetrandas; præcipuè cùm ipſe Eccleſiaſticus aſſeveret, *non eſſe oblectamentum ſuper cordis gaudium.* (r)

Verùm cùm poſterius hoc genus conſolationum non omnibus etiam verè piis, nec ſemper communicetur; imò cùm periculi aliquid non rarò ad-

(q) Cant. 3. v. 4. (r) Eccli. 30. v. 16.

admixtum habeant, hinc ſolatiorum primæ claſſis, quæ ſolam mentem afficiunt, quæve ab omnibus & ſemper percipi poſſunt, major habenda eſt ratio, curandumque, ut potiùs illorum ſpe ad ſectandam ſanctitatem impellamur. Duo autem præcipuè ſunt fontes, ex quibus germana hæc ſolamina in mortalium corda uberiori vena profluere ſolent, nempe *gloriæ præſtantia*, & *theſaurorum abundantia*. Quò copioſiora hæc fuerint & excelſiora, eò ſolidiora quoque emanantia inde gaudia eſſe conſueverunt; uti videre eſt in cœlicolis, qui ideo beatiſſimi vivunt; quia ſumma *gloria*, ſummoque *theſauro* potiuntur.

Jam verò gemina hæc emolumenta in hac adhuc vita eminenti gradu poſſidere animam virtutis ſolidæ ſtudioſam, in aprico eſt. Hæc enim (ut cœleſtia perhibent oracula) Chriſti ſoror & mater eſt, ejusdem amica & ſponſa eſt. (s) hac autem cognatione

(s) *Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.* Matth. 12. v. ult. *Vos*

quid eminentius est? Præterea *regnum cœlorum*, (t) *divitiæ salutis*, *DEUS ipse thesaurus ejus est*; (u) ita ut etiam illa cum Salomone affirmare possit: *venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*, (nempe cum perfectione) *& innumerabilis honestas per manus illius.* (x) hac autem rerum copia quid locupletius est? Certè omnis opulentia Abigailis & Bersabeæ: omnis magnificentia Estheris & Judithæ non nisi umbra sunt, collata excellentiæ & opibus talis animæ.

Non solùm ea participat inæstimabile illud margaritum amicitiæ divinæ, sed insuper propter arctissimum, qui illam inter & Christum intercedit, nexum contrahit quandam affinitatem, & mysticam conjunctionem cum ipsa Sacrosancta Trinitate, & communem quandam ineffabilium bonorum societatem. Quis ergo neget, solidè pro-

amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis. Joan. 15. v. 14. *Sponsabo te mihi.* Osee 2. v. 19. *Soror mea sponsa.* Cant. 9. v. 10. (t) Matth. 3. v. 2. (u) Isa. 33. v. 6. (x) Sap. 7. v. 11.

probos gloriæ præſtantia, & theſaurorum abundantia plurimùm excellere? Quid igitur mirum, quòd ii quoque *exultent lætitia inenarrabili & glorificata?* (y) quòd naufragi innatent deliciarum oceano, & anticipatò jam æmula illi pace fruantur, qua Cœlites æternùm gaudent? Nam quò quis excellentior eſt honore & divitiis auctior, eò & felicior in hoc orbe cenſetur; glorioſior autem nulla, nulla ditior conditio in his terris reperitur, ac illa talis animæ eſt; ùt ex dictis abunde patet. Ergo nemo pariter terricolarum amplioribus affluit ſolatiis, quàm genuinæ pietatis candidatus; adeoque & nemo eodem in hoc adhuc orbe beatiùs vivit.

Nec mirum; nam in ejus pectore geminæ illæ omnium turbationum ſcaturigines exſiccatæ arent: duo illi omnis tranquillitatis hoſtes depreſſi jacent, nempe voluntas propria, amorque proprius. quod biceps monſtrum interni omnis belli infauſtam originem

(y) 1. Petr. 1. v. 8.

esse multiplici experientia constat. Quid enim aliud est, quod tam turbidas in nobis tamque frequentes excitat tempestates, nisi quòd subin aliquid fiat, quod commissum nollemus: aut aliquid intermittatur, quod factum vellemus? quòd quippiam eveniat aut honori adversum aut cuticulæ ingratum? quòd consilia nostra everti, desideria impediri, commoda tolli, conatus infringi, eludique cernamus? hoc scilicet est, quod urit, mordet, pungit. hæc infelix illa querelarum Lerna, hic stygius ille puteus est; unde emergunt *in terram*, *& exeunt* illæ *locustæ* curarum, angorum, turbarum, & afflictionum, quarum *cruciatus sunt sicut cruciatus scorpii, cùm percutit hominem.* (z)

Jam autem cùm anima virtuti dedita omnem suam voluntatem exuta, non respiret nisi divinam; cùm propriæ existimationi sensuumque oblectationi sponte renunciaverit; cùm nullius rei conditæ desiderium sit unicum ejus

(z) Apoc. 9. v. 4. & 5.

ejus votum, ſuique dominium ſit ampliſſimum ei imperium; à duplici hoc omnis perturbationis fonte quàm remotiſſima degit, & in ipſo quietis palatio ſecuriſſima vivit. Cùm enim nil in orbe ſine Numinis nutu eveniat; illa autem nihil, quàm quod DEUS, velit; hinc ei quoque nil unquam contrà accidit, quàm optat. Hoc ipſo quòd contemni cupiat, ſuique afflictionem amet; nec vilipenſione turbatur, nec adverſis affligitur. Et quia aut nihil deſiderat, aut modicum præciſè: & etiam hoc tantùm modicè prenſat, contrariis caſibus mentis tranquillitate nunquam dejicitur. Quo fit, ut tam puro intus tamque conſtanti ſolamine gaudeat, ut nemo id capere niſi expertus poſſit. Quis ergo neget, ſolas animas virtutis ſolidæ ſtudioſas in hac adhuc miſeriarum valle ob ſolatia, queis affluunt, beatas omnino felicesque vivere?

Et quidnî? cùm enim eæ (ùt ait Auguſtinus) *in illo gaudeant, qui non*

potest perire : (aa) illi innitantur, qui non potest corruere : illi confidant, qui non potest fallere ; necessariò genuina voluptate perfunduntur, mira felicitate beantur, & instar Olympi omnes terrenas nubes toto vertice egressæ, constanter serenos numerant dies. Ut proin jure exclamet Bernardus : *ô felix sanctæ conscientiæ jucunditas ! quid illâ in rebus ditius vel dulcius ? Quid in terra quietius atque securius ?* (bb) Certè *si est gaudium in mundo, hoc utique possidet puri cordis homo.* (cc) Si reperire est beatitudinem in terra, hac profectò gaudet sanctitudinis appetens anima.

Et tamen (quis possibile id credat) & tamen invenire sit aliquos, qui sine ullo motu pioque sensu hæc legant ? qui ista considerent, quin per ea ad sectandum pietatis studium inflammentur ? quibus difficile accidat, *summitatem frondium avellere, ut auferant medullam cedri ?* (dd) *in palmam ascendere, ut*

(aa) in Ps. 84. ante medium. (bb) Epist. 373. (cc) l. 2. c. 4. de imit. Christ. (dd) Ezech. 17. v. 4.

ut apprehendant fructus ejus? (ee) Ægypti ollas ſpernere, ut potiantur cœleſti manna? O Superi! credimus, quòd ſanctitatis avida *mens ſit quaſi juge convivium;* (ff) & tamen malumus cum filio prodigo inter porcos famere, & ſiliquis paſci, quàm divinis hiſce cupediis nos dignos reddere. O Domine! *illumina tenebras noſtras;* (gg) immitte nobis nauſeam mundanorum, ut tandem aliquando ſuperna appetamus.

III. Accedit, quòd addictos probitati animos ſingularis Providentia Numinis ſpeciatim foveat, tutetur, & regat; id quod tertium eſt atque præcipuum terreſtris hujus, qua ſanctimoniæ ſectatores in hoc jam mundo triumphant, beatitatis fundamentum. Tales enim providis DEI brachiis inſerti, inſtar pupillorum ſub tutela fidi tutoris: veluti infantes in ſinu ſolicitæ matris: quaſi hoſpites in navigio vigilis nautæ tuti vivunt, ſecuri quieſcunt,

III. *Ob Providentiam, qua ſingulariter protegunturſ, foventur, reguntur.*

(ee) Cant. 7. v. 8. (ff) Prov. 15. v. 15. (gg) Pſ. 17. v. 29.

ſcunt, & portum ſalvi ingrediuntur. Certum enim eſt, illam Mentem æternam peculiari affectu invigilare commodis illorum, qui ſedulo conatu acquirendæ perfectioni conſtantes incumbunt. Huic veritati probandæ unicum ex innumeris argumentum attuliſſe ſufficiat.

Nam edicite, amabo, quid vilius quàm *paſſeres*, quorum *duo aſſe veneunt?* & tamen aſſeverante id Chriſto, nec *unus ex illis cadet ſuper terram* ſine nutu Divini Patris. (hh) Quid neglectius capillo, quod humi abjectum pedibus conculcatur? & tamen ſacra teſtante Pagina, ab æterno *omnes numerati ſunt*. (ii) Quid abjectius *lilio*, aut *agri fœno, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur?* & tamen ea *DEUS ſic veſtit*, ut nec *Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut unum ex iſtis*. (ll) Quid denique contemptius corvis, *qui non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium neque hor-*

(hh) Matth. 10. v. 29. (ii) ibid. v. 30.
(ll) Matth. 6. v. 29. & 30.

horreum? & tamen quotidie DEUS paſcit illos. (mm) Si ergo (quæ Chriſti argumentatio eſt) ſi ergo *Pater cœleſtis* tanta ſolicitudine tam vilibus animalculis & exſucco gramini providere dignatur, *quantò magis vos*, (nn) ô fideles animæ! tuebitur, diriget, ac fovebit? vos, inquam, *quas in charitate perpetua dilexit:* (oo) *in funiculis Adæ* ſibi adſtrictas tenet, (pp) & *in manibus ſuis deſcriptas* circumfert; (qq) ſecundùm illud Sapientis effatum: *juſtorum animæ in manu DEI ſunt.* (rr)

Ita eſt *ô Pater!* (Salomonis verba ſunt) *tua Providentia gubernat* omnia, (ss) *& cum magna reverentia diſponis nos; ſubeſt enim tibi, cùm volueris, poſſe.* (tt) *Tibi* quidem *cura eſt de omnibus;* (uu) ſed præcipuè de illis, quibus perfectionis ſtudium viciſſim curæ eſt. Teſte Auguſtino *curas* equidem *unumquemque noſtrûm tanquam ſolum*

(mm) Luc. 22. v. 24. (nn) Matth. 6. v. 30. (oo) Ierem. 31. v. 3. (pp) Oſee 11. v. 4. (qq) Eſa. 49. v. 16. (rr) Sap. 3. v. 1. (ss) Sap. 14. v. 2. (tt) Sap. 12. v. 18. (uu) Sap. 12. v. 13.

lum, & sic omnes tanquam singulos; (xx) sed tamen illis speciatim attendis, qui pariter virtuti singulariter intendunt. hos enim *in sinu tuo portas:* (yy) hos *quasi pupillam oculi custodis:* (zz) hos per varios anfractus salvos deducis, ab eis offensionum lapides amoliendo, tentationum laqueos avertendo, stygios assultus retundendo, variosque eventus ita sapienter moderando, ut *diligentibus te omnia cooperentur in bonum*, (aaa) ipsi non rarò lapsus.

Porro quantarum consolationum scaturigo, quàm beatæ quietis, quàm firmæ spei fundamentum ejusmodi Providentiæ viva fides & experimentum sit, difficile dictu est. Quid enim timeat, quærit Augustinus, *quid timeat homo in sinu DEI positus?* (bbb) quanam re indigeat Numine plenus? quid aliud præterea desideret, qui cum Dilecto suo omnia possidet? Ah! *Do-*

(xx) l. 3. confess. c. 11. (yy) Num. 11. v. 12. (zz) Deut. 32. v. 6. (aaa) Rom. 8. v. 28. (bbb) l. 2. confess. c. 11.

Dominus regit me, (cum Davide læta ejusmodi anima exclamat) *Dominus regit me*. ergo *nihil mihi deerit*. (ccc) *Angelis suis mandavit de me, ut custodiant me*; ut *in manibus suis portent me*. ergo *non offendam ad lapidem pedem meum*. (ddd) Quin & *super aspidem & basiliscum innoxius ambulabo: leonem & draconem illæsus calcabo*. (eee) Imò *etiamsi mortiferum quid bibero, non mihi nocebit*. (fff)

Adhæc *Dominus illuminatio mea & salus mea*; igitur *quem timebo? Dominus protector vitæ meæ*; itaque *à quo trepidabo?* (ggg) Ah! *nihil mihi evenire permittet*, (Augustini oraculum est) *nisi quod mihi prosit, etiamsi nesciam*; (hhh) *quia nemo tam pater ac ille*, ùt asseverat Tertullianus. (iii) Scit, quid mihi meliùs congruat; cùm sit Sapientissimus: illudque mihi dare etiam potest; cùm sit potentissimus. ergo illud

(ccc) Ps. 22. v. 1. (ddd) Ps. 90. v. 11.
(eee) ibid. v. 12. (fff) Marc. 16. v. 18.
(ggg) Ps. 26. v. 1. (hhh) Soliloq. c. 15.
(iii) lib. de pœnit.

illud etiam certò dabit; cùm mei amantissimus sit. Igitur *conjiciam me in eum, non subtrahet se, ut cadam.* (lll) *Omnem solicitudinem meam projiciam in eum, quoniam ipsi cura est de me.* (mmm) Nam *Dilectus meus mihi, & ego illi.* (nnn) O sortem prosperam! ille mihi .... ego illi .... ille mihi in deliciis: ego illi in amoribus, ille mihi saluti: ego illi curæ sum. ergo votorum compos quid aliud petam? omnium satur quid amplius optem? quid aliud superest, quàm ut timoris expers, omnium secura, *in pace in idipsum dormiam, & requiescam!* (ooo) Ita sentit dedita sanctitati mens. O profectò felicitatem stupendam! O providi Numinis favorem immensum, qui perennis gaudii perpetuus fons est.

Enimvero si mihi linguæ centum forent; si manus & calami centum, emananti inde beatitudini pro merito extollendæ sufficiens haud forem; ut nec

(lll) l. 2. conf. c. 11. (mmm) 1. Petr. 5. v. 7. (nnn) Cant. 2. v. 16. (ooo) Ps. 4. v. 9.

nec excellentiæ animi, qua ejusmodi heroes adverſos ſibi caſus deſpiciunt. Licèt enim (id quod Jobo evenit) ventorum turbine *concuſſa quatuor angulis domus repente corruat*: licèt *ignis DEI cadat è cœlo, & tactas oves puerósque conſumat*: licèt hoſtiles *turmæ invadant* omnia, *auferant*, diſperdantque; (ppp) quamvìs denique fluctus maris naufragas hauriant opes, & *cataractæ cœli apertæ, ruptique fontes abyſſi* (qqq) cuncta inundent, evertantque; nihilominus impavidos tales ferient ruinæ: etiam inter procellas velut acus magnetica divinæ voluntatis cynoſuram ſequuntur: inſtar ſoliſequii etiam nebulis tectum Juſtitiæ ſolem proni adorant. *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum*, (rrr) conſueta eis parœmia eſt. Probè enim norunt, hæc omnia ejus nutu fieri, qui *imperat ventis & mari*: (sss) *qui ligat aquas in nubibus ſuis*, (ttt) *habens*

(ppp) Job. 1. v. 15. & ſeq. (qqq) Gen. 7. v. 11. (rrr) Job. 1. v. 21. (sss) Luc. 8. v. 25. (ttt) Job. 26. v. 3.

clavem abyssi. (uuu) Sciunt, de ejus clementis Providentiæ *throno procedere fulgura & tonitrua*, (xxx) *& flammas ignis devorantis.* (yyy)

Quodsi epotandus eis morborum calix porrigatur, hunc minimè nauseant, certi medicam Numinis manum sibi eundem miscuisse. Si conjuratus contra eos consurgat tartarus, infracti perstant; sciunt enim, quia *fidelis DEUS faciet cum tentatione proventum.* (zzz) Unde fit, ut nullas tristitiæ hyemes, nullos inconstantiæ apriles vivant; sed placidum semper decurrant ævum; cùm serenus eis etiam inter nubila rideat Phœbus. Illa Jessiadis verba: *Dominus solicitus est mei;* (aaaa) illa Ignatii suspiria: *guberna, sicut scis & vis; nam scio, quòd amator sis*, familiares eisdem tesseræ sunt, queis velut clypeo muniti, omnes curarum aculeos procul arcent, fugantque. Et hæc beata solidè piorum

(uuu) Apoc. 12. v. 1. (xxx) Apoc. 4. v. 5.
(yyy) Isa. 29. v. 6. (zzz) 1. Cor. 10. v. 13.
(aaaa) Psal. 29. v. 18.

rum in hoc adhuc orbe conditio eſt. Sed nota: ſolidè piorum; ſoli enim perfectionis ſtudioſi tanta beatitate in hac etiamnum vita fruuntur.

O igitur felicem illius animæ ſortem! quæ, miſſo rebus creatis nuncio, ſe DEO ex aſſe conſecrat, devovetque. quæ nil ſibi, quod Conditori non offerat, aut avara reſervat, aut diffidens excipit. quæ propriæ voluntatis expers non niſi ex nutu divino vivit. Hæc enim Numini confiſa nil quærit, vel optat præter gratiam: nil horret, aut fugit præter peccatum: nil timet, vel odit præter ſeipſam. Dilecto ſuo innixa nihil non audet: omnia ſperat: imò cum Davide *in DEO ſuo* etiam *transgreditur murum.* (bbbb) ſuperno ardore flagrans, in virtutis ſemita volat, & liberam tædiis auram ſpirans, paternæque Providentiæ ſinui indormiens, inter Patris æterni brachia auream vivit pacem, cœleſtis illius, quam in cœlis exſpectat, prænunciam. Nempe quia

(bbbb) Pſal. 17. v. 30.

illa ſe totam DEO, viciſſim etiam DEUS ſe totam illi communicat. quo fit, ut ejusmodi homo in hoc adhuc mundo per omnem partem beatus vivat tum ob *charismata*, queis gaudet: tum ob *ſolatia*, queis affluit; tum denique ob *providentiam*, qua ſingulariter protegitur, fovetur, & regitur.

Ad hæc jam quis nobis ſenſus? his perceptis, quæ modò animum ſententia ſubit? Enimvero aut nobis frons omnis periit, ſi vera hæc eſſe inficiamur: aut æs circa pectus riget, ſi tanta beatitudo nullam in nobis ſui orexin movet. Quid enim? an non in ſaxum obriguiſſe oportet, ſi nos tot tamque excellentia, quæ ſanctimoniæ aſſeclis etiamnum vivis promittuntur bona, tamen ad procurandam ſanctitatem non animant? Ah! *pro re vana* (Kempenſis lamentum eſt) *pro parva promiſſione die noctúque fatigari non timetur*; & interim pro obtinenda *probitate vix pes ſemel à terra levatur*. O Superi! *pro uno numismate interdum turpiter litigatur*; & pro acquirenda illa felicitate,

tate, quæ in hoc adhuc orbe pietati comes eſt, *vel ad modicum fatigari pigritatur.* (cccc)

Vah nos inſenſatos! ciſternis diſſipatis, nuci caſſæ, Ægypti cepis ſtulta ingluvie inhiamus; & torrentes voluptatis, qui in hac quoque lacrimarum valle pias mentes inundant, amentes reſpuimus. Illa charismata negligimus, quæ beatorum corporum beatitatem æmulantur: illa ſolatia contemnimus, quorum unica guttula omne mundi nectar immenſum excedit: paternum ſingularis illius Providentiæ ſinum fugimus, in quo qui recumbit, terreſtri paradiſo fruitur. An non ergo nobismet ipſis infenſi ſumus, qui lutum pro auro commutamus?

Equidem ô Domine! his gratiis caremus, quia non toti tui ſumus. Tu nobis cœleſtia ſubtrahis; quia nos tibi terreſtria negamus. minùs liberalis es erga nos, quia nimis avari ſu-

(cccc) De imit. Chriſt. l. 3. c. 3.

mus erga te. Sed pudet, tam sordidè hactenus tecum egisse: piget, perfectionem in postremis habuisse. Spes bonorum per virtutem solidam in hac adhuc vita acquirendorum potens deinceps illius sectandæ incitamentum erit. Tu ô JESU, qui nos cupis perfectos esse, *sicut Pater cœlestis perfectus est*, (dddd) da, ut forti ausu tandem aliquando rumpamus vincula, quæ nos terræ alligatos, à prævio hoc cœlo arcent: & vitiis mancipatos à probitatis semita abstrahunt. Da, ut asserti in libertatem filiorum DEI, anticipato sanctitudinis præmio in hoc jam mundo beatè vivamus.

§. II.

Soli perfectionis studiosi placidè moriuntur.

I. *Ob requiem à laboribus præteritis.*

I. QUàm placidus probi hominis sit obitus, inde patet, quòd is in sacris Paginis somnus appelletur. *Si dormieris*, (ait Salomon, talem alloquens

(dddd) Matth. 5. v. 48.

quens) *ſi dormieris, non timebis: quieſces, & ſuavis erit ſomnus tuus.* (a) Quibus verbis ſapientiſſimus regum denotat, ejusmodi tranſitum 1. fore tranquillum: *quieſces;* 2. jucundum: *ſuavis erit;* 3. ſecurum: *non timebis.* Hanc triplicem ob cauſam (ùt commentatur Bernardus) *erit mors juſti bona, melior, optima; bona propter requiem: melior propter ſuavitatem: optima propter ſecuritatem;* (b) propter requiem à laboribus *præteritis*: propter ſuavitatem ſolatii *præſentis*: propter ſecuritatem ab anxietatibus *futuris.* Ob trinam hanc rationem etiam nos piæ animæ migrationem placidiſſimam fore aſſerimus. quam tamen ſortem ſoli ſperare queant ii, qui pietatis ſolidæ ſeriò ſtudioſi vivunt.

Inprimis *mors juſti*, virtutiſque ſingulariter addicti, erit *bona propter requiem* à laboribus *præteritis*: *quieſces.* Talibus enim in hoc rerum articulo conſtitutis *amodo jam dicit ſpiritus, ut re-*

(a) Prov. 3. v. 24. (b) Epiſt. 105.

requiescant à laboribus suis. (c) Hi autem labores duplicis præcipuè generis sunt, nempe dolores corporis, & afflictiones animi. quidquid enim ærumnarum in hoc mundo est, vel corpus cruciant, vel animam torquent; itáque non rarò accumulantur, ut etiam generosos subin viros, & in patientiæ palæstra exercitatos athletas cum Paulo ingemiscere cogant: *infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (d) Verùm hoc ipso ex capite Bernardo teste *pretiosa est mors sanctorum; quia est finis laborum*, (e) quibus ii per vitæ cursum tum in corpore, tum in anima conflictabantur.

Tunc enim talium auribus allabetur dulcis illa Dilecti vox: *surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Jam enim hiems transiit, imber abiit, & recessit.* (f) *Transiit hiems* illarum corporis molestiarum, morborum, & cruciatuum, quæ tot acerbita-

(c) Apoc. 13. v. 14. (d) Rom. 7. v. 24. (e) Epist. 105. (f) Cant. 2. v. 10. & 11.

bitatum & afflictionum fertilis tibi cauſa fuerat. *Abiit imber* illarum adverſitatum, vexationum, & anxietatum, quæ tot tædiorum, curarum, & mœrorum perennis tibi fons exſtiterat. *Receſſit* denique ille nimbus ægrotationum, illa nox ſcrupulorum, quorum ille carnem tot angoribus afflixit; hæc verò mentem tot tenebris involvit, tot morſibus dilaniavit, tot terroribus complevit.

Proin *ſurge amica mea* ex hoc *lecto doloris* (g) *& valle lacrimarum*, (h) *ex hac terra tenebroſa & operta mortis caligine.* (i) Egredere *ô columba mea!* ex hac *caverna maceriæ*, (l) tot turbinibus perviæ. *Propera* exire *ô formoſa mea!* de hoc *lacu miſeriæ & luto fæcis*, (m) tuo candori tam noxiæ. *Veni ô ſponſa mea! veni de cubilibus leonum, & de montibus pardorum;* (n) id eſt, de tot inſidiis, occaſionibus, & periculis peccandi, quibus hic mundus

(g) Pſal. 50. v. 4. (h) Pſal. 83. v. 7. (i) Job. 10. v. 21. (l) Cant. 2. v. 14. (m) Pſal. 39. v. 3. (n) Cant. 4. v. 8.

veluti totidem pedicis obtectus horret, & inter quas trepido pede continuò incedere debuisti: *veni* ergo, *veni, & coronaberis.* (o) nam *reposita est tibi corona justitiæ, quam reddet modò tibi Dominus* in hac *die justus judex.* (p) *tempus* enim *putationis advenit,* (q) quo tanquam flos *campi, & lilium convallium,* (r) à mortis falce à terra avulsum, cœlesti paradiso insereris. O enimvero sensa divinam pacem stillantia!

Quid ergo mirum, quòd ejusmodi moribundus fruatur quiete omni malacia tranquilliore? Quòd olorum more parentali voce lætus concinat illud regii Vatis carmen: *lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus;* (s) illaque Ecclesiastici verba usurpando, circumstantibus dicat: *videte oculis vestris: quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.* (t) En! omnis retro vita non nisi momen-

(o) Cant. 4. v. 8. (p) 2. Tim. 4. v. 8. (q) Cant. 2. v. 12. (r) Cant. 2. v. 1. (s) Psal. 121. v. 1. (t) Eccli. 51. v. 53.

mentum modò fuisse videtur. Transierunt illatæ mihi injuriæ, contemptiones, calumniæ: transierunt illæ carnis castigationes & sensuum refrænationes: illa jejunia & abstinentiæ. Transiissent modò etiam honores, illecebræ & commoda, si illis inhiassem. Ex eis modò nil restaret nisi remordens conscientiam stimulus; cùm è contrario suavi nunc gaudio diffluam, quòd acquirendæ virtuti solidæ me totum impenderim: quòd non fecerim malum, quod facere potui; & egerim bonum, quod agere debui.

O! quàm magnæ nunc pacis argumentum est, *non dilexisse mundum, nec ea, quæ in mundo sunt;* (u) *non quæsivisse propriam gloriam,* (x) *nec primos accubitus prensasse; sed accubuisse in novissimo loco:* (y) *sed corpus castigasse, & in servitutem redegisse:* (z) *sed memetipsum abnegasse, & crucem meam quotidie portâsse.* (aa) O quantæ nunc mihi

(u) 1. Joan. 2. v. 15. (x) Joan. 7. v. 18. (y) Luc. 14. v. 7. (z) 1. Cor. 9. v. 27. (aa) Luc. 9. v. 23.

mihi tranquillitatis materia est, illam contumeliam dissimulâsse: ad illam vilipensionem siluisse: illam calamitatem patienter tulisse: multum laborasse pro proximo, plurima tolerasse pro DEO. O beatæ asperitates, contemptus, & ærumnæ! O generosum in adversis silentium! felicesque fatigationes! vos mihi clavis ad cœlum, vos ad celsiorem gloriam sublimis scala fuistis. Æternæ sint Numini grates, quòd ejus ope cum illo Juvene etiam ego *omnia præcepta custodierim à juventute mea.* (bb) quòd cum Davide etiam ego integrè *reddiderim vota mea, quæ distinxerunt labia mea:* (cc) pro admissis verò culpis *in cilicio & cinere pœnitentiam egerim.* (dd) quòd denique *per bona opera certam meam vocationem, & electionem fecerim.* (ee)

O quàm prudens fui, quòd per sanctiorem vivendi normam prævenerim illos timores, quos morituro creare solet vita tepidiùs acta; quòd cave-

(bb) Matth. 19. v. 20. (cc) Psal. 69. v. 14.
(dd) Matth. 11. v. 21. (ee) 2. Petr. 1. v. 19.

caverim illos angores, quos nunc paterer, si illi instinctui obstitissem. Ah! illi tentationi potuissem & ego consentire! quin & à lapsu jam proximè abfui; sed adhuc restiti. Heu! si illi tepori indormiissem, quò devenissem? sed excussi: salutem meam sum operatus: sudavi, & alsi in vinea Domini. Proin à cœlesti Patrefamilias promissum nunc denarium & ego fidenter exspecto. Et hoc est, quod meam nunc mentem summè tranquillam reddit. Ita talis moriens: hæc sub mortem sunt sensa Justi, qui virtutis solidæ studiosus vixit. Inde patet, quàm dulce sit meminisse laborum, discriminum & ærumnarum, quos constanter obivimus, providè vitavimus, fortiter pertulimus; quantopere horum memoria tranquillent animum.

Superi! ô quàm saniùs de perfectione sub vitæ finem, quàm sub ejus exordium sentimus. Si enim illa secundùm eam temporis seriem spectetur, qua incipit; enimvero terribile

quid

quid horridumque videtur esse, viginti vel triginta annos in arcta solitudine, & constanti corporis afflictatione transigere; decem vel quindecim lustris *adversùs carnem & sanguinem* luctari: *adversùs rectores tenebrarum harum & contra spiritualia nequitiæ* (ff) continuò pugnare.

At verò si hæc eadem vita consideretur eo, quo desinit, momento, in ipso scilicet Justi obitu, ô quàm pulchra ea, quàm optabilis ac beata apparet! Tunc enim anima, *quæ carnem suam crucifixit cum vitiis & concupiscentiis suis*, (gg) cum moribundo Servatore pariter exclamat: *consummatum est.* (hh) Equidem si præterita respicio, (exultans perget illa) magna mihi certamina fuêre sustinenda, plures obices superandi, magni conatus exerendi. Sed immortales DEO sint grates: *consummatum est;* miseriarum tempus abiit nunquam rediturum: transiêre labores non ampliùs repetendi:

(ff) Eph. 6. v. 12. (gg) Gal. 5. v. 24.
(hh) Joan. 19. v. 30.

di: pertexta eſt malorum tela. Nulli ampliùs erunt morbi, adverſa nulla, nullæ cruces, pœnitentia nulla. Nulla mihi poſthac erunt coërcenda deſideria, nullæ affectiones ſubigendæ, nulli aſſultus repellendi. Verbô: *conſummatum eſt.*

Graves quidem & plures exantlandæ fuerant tempeſtates, ſed jam tuta teneo portum: diuturnum quidem & difficile erat exilium, ſed jam felix conſpicio patriam: poſt longum arduumque curſum tandem attigi ſtadii metam: per *terram deſertam, inviam & inaquoſam* (ii) tandem perveni ad fontem omnium voluptatum. Paulò poſt comprehenſura ſum, quod hactenus cum difficultate credidi: brevì poſſeſſura ſum, quod cum anxietate ſperavi: mox æternùm amanda viciſſim impenſè amabo, quod hucusque tam tepidè dilexi, Summum Bonum. Finis miſeriarum mundi erit ſimul initium deliciarum cœli. O felix anteactorum recordatio! tu ſuave illud balſa-

(ii) Pſal. 62. v. 2.

ſamum es, quod aſpera quæque mira dulcedine lenit, & ſumma quiete morituri perfundit mentem. Quis ergo inficias ibit, ejusmodi animæ tranſitum fore tranquillum ob beatam, quam tot certationibus imponit, coronidem?

II. *Ob ſuavitatem ſolatii præſentis.*

II. Verùm non ſolùm erit *bona mors juſti ob requiem* à laboribus *præteritis: quieſcet;* ſed etiam erit *melior propter ſuavitatem* ſolatii *præſentis: ſuavis erit.* Hoc autem ſolatium ex triplici potiſſimùm fonte tunc in ejusmodi moribundum emanabit 1 ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, 2 ex vacuo creatis affectionibus animo, 3 ex aſpectu Chriſti è cruce penduli.

1. Ad primum quod attinet, etiam de tali dici poteſt, quod S. Paulus de Henoch affirmat, nempe *ante translationem teſtimonium habuiſſe, placuiſſe DEO.* (a) nam etiam is *habet teſtimonium conſcientiæ ſuæ, quòd in ſimplicitate cordis, & non in ſapientia carnali,*

(a) Hebr. 11. v. 5.

nali, ſed in gratia DEI converſatus ſit in hoc mundo. (b) Audit in intimo ſui cordis reſonantem quandam vocem, quæ præteritæ vitæ æmula jam echo eſt; hæc ipſum de Numinis amicitia ea, quam Synodus Tridentina admittit, morali ſecuritate certum reddit. hæc fidum ei ſe vadem præbet, omnia illum rite confeſſum, DEI filium jam eſſe cœliqúe hæredem, qui perſeverantiam finalem æternamque felicitatem à Divina Miſericordia firmiter ſperare queat. hæc eidem aſſeverat, eum de numero illorum eſſe, quorum ex Chriſti ſententia *eſt regnum cœlorum*, (c) & quibus Judex divinus aliquando dicet: *venite benedicti Patris mei.* (d)

Haud quidem ignorat, quamdiu vita ſuperſtes in labris hæret, gratiæ jacturam facere ſanctiſſimum quemque poſſe. Attamen etiam novit, eventum ejusmodi rariſſimum eſſe, albisque corvis annumerandum. Scit,

(b) 2. Cor. 1. v. 12. (c) Matth. 5. v. 3.
(d) Matth. 25. v. 34.

quia *fidelis DEUS est*, (e) qui non finet malè mori, qui bene vixit: nec ad Babylonem appellere illum, qui Solymam versùs iter instituit. Notum est ei illud Joannis oraculum: *si cor nostrum nos non reprehenderit, fiduciam habemus ad DEUM*, (f) nempe eum nobis propitium fore, nec permissurum nos tentari supra id, quod possumus.

Porro quàm liquido solamine hæc testificatio ejus mentem perfundat, quantam ea quamque firmam salutis spem eidem instillet, inde patet, quòd talis dœmoni, timidos angores ingerenti, illud ipsum fidenter respondeat, quod olim Patriarcha Jacob persequenti se Labano reposuit scilicet: *scrutare, siquid tuorum apud me inveneris.* (g) Scrutare, lustra, perquire, quantum libet; nil habeo, quod tuum est: nil tuæ superbiæ & ambitionis: nil tuæ malitiæ & fraudum apud me deprehendes. Imò illis ipsis S. Martini ver-

(e) 1. Cor. 10. v. 13. (f) 1. Joan. 3. v. 21.
(g) Gen. 31. v. 32.

verbis eundem audacter alloquetur, dicens: *quid adstas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.*

Nempe *justus* moriens, *quasi leo confidens*, *absque terrore* damnationis *erit.* (h) Et licèt tunc *diabolus descendat ad eum*, *habens iram magnam*, *sciens*, *quia modicum tempus habet*; (i) nihilominus ille *velut acies castrorum ordinata*, (l) quasi *civitas munita*, (m) aut *murus æreus* (n) stygis assultus victor retundit. *confortatus in Domino & in potentia virtutis ejus*, *ac indutus armaturam DEI*, stat *adversùs insidias diaboli*, *omnia tela nequissimi* hostis *ignea* levi flatu *extinguens.* (o)

Præterea tot anni servitio Numinis consecrati: tot dies, quorum singula momenta in quæstu fuerunt posita: tanta congeries meritorum, locupletissimi instar thesauri in alterum orbem præmissorum, hæc, inquam,

(h) Prov. 28. v. 1. (i) Apoc. 12. v. 12. (l) Cant. 6. v. 9. (m) Psal. 30. v. 22. (n) Isa. 15. v. 20. (o) Eph. 6. v. 11. & seq.

æquissimas in spes ejus erigunt mentem. Cúmque Christus enunciarit, *pauperum spiritu esse regnum cœlorum: misericordes misericordiam consecuturos: mundo corde DEUM visuros: pacificos filios DEI vocandos: persecutionem passis propter justitiam, mercedem fore copiosam in cœlis.* (p) cùm asseveraverit, eos, qui se humiliaverint, fore exaltandos: (q) qui luxerint, consolandos: qui esurierint, saturandos: qui denique omnibus relictis secuti eum fuerint, hos centuplum accepturos, & vitam æternam possessuros; (r) hæc, inquam, cùm Divinum Servatorem interposita infallibili sua authoritate pollicitum esse sciat; ex altera verò parte cùm conscientia eidem testimonium perhibeat, se illas conditiones impleviſse, quibus *immarcescibilem gloriæ coronam* (s) justus Judex alligavit, etiam de hac sibi imponenda nullus dubitat. cùm in suo vitæ catalogo illas virtutes DEI digito expressas videat, quibus cumulatissima hæc præmia

(p) Matth. 5. v. 3. & seq. (q) Luc. 3. v. 5.
(r) Matth. 19. v. 29. (s) 1. Petr. 5. v. 4.

mia fuêre promiſſa, eadem quoque, infinita Numinis fidelitate fretus, mira ſecuritate exſpectat; cúmque de oleo charitatis ſibi in tempore providerit, à cœleſti Sponſo cum illis *Virginibus fatuis* (t) excludi nullatenus metuit; ſed admittendum ſe ad Agni nuptias ea fiducia ſperat, quam nulla tentatio excutere, nullus angor turbare, nullus juſtitiæ timor imminuere poteſt.

Quis autem explicabit conſolationum magnitudinem, quæ inde in talem animum redundabunt? Ah! *beatum* illum *divitem* eſſe, *qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus: facere mala, & non fecit.* (u) fidelem illum prudentemque ſervum eſſe, quem *conſtituet Dominus ſuper omnia bona ſua;* (x) imò non ſolummodo ſervum, ſed amicum Chriſti, quin & filium DEI hæredemque eſſe; idque tacito quodam vadimonio teſtari conſcientiam; eamque id teſtari in articulo mortis, in limine æternitatis, pauculis ante

(t) Matth. 25. v. 12. (u) Eccli. 31. v. 8. & 10. (x) Matth. 24. v. 47.

tremendum illud judicium horis; id est, eo tempore, quo omnis regum cognatio, cuncta honorum vocabula, omniumque regnorum hæreditates nostra etiam opinione fumus, umbra, nihil sunt: & quo sola Numinis gratia, favor ac amicitia aliquid sunt; hoc enimvero hominis pii ex hac vita migrationem jucundissimam reddit dulcissimamque *ob suavitatem* nempe *solatii præsentis*, quod eidem bonæ conscientiæ testimonium suggerit, suppeditatque.

2. At non minùs efficax erit illud alterum ejus solamen, quod ex secundo fonte scaturiet, scilicet ex vacuo creatis affectionibus animo. Quod enim mortalibus *in substantiis suis pacem habentibus* (y) supremum ex hoc orbe discessum, imò vel solam ejus memoriam adeò tristem efficit ac amaram, est avulsio ab illis rebus, quibus anima nimio affectu, agglutinata adhæret. Præposterus enim terrestrium amor, ac dominantes nobis cupiditates

(y) Eccli. 41. v. 1.

tates sunt illud discordiæ pomum, quod mentibus injectum Balthassari, Ezechiæ, Epuloni aliisque innumeris transitum ex hoc mundo adeò acerbum reddidit ac luctuosum, tantasque in eis turbas excitavit, tot lacrimas ipsis & lamenta expressit. Nam decedere illis honorum subselliis tantopere amatis: excedere illo palatio tam magnificè ornato: deserere illas opes adeò solicitè congestas, relinquere illas voluptates tanto cum æstu quæsitas, hoc est, quod illi superbo, diviti, ac voluptuario homini cor medium lethali plaga diffindit.

Contrà verò *ô quàm magna cum fiducia moritur*, (Hieronymi sententia est) *quem nullius rei affectio detinet.* (z) Quid enim eum turbet, affligatque? an gazæ ignotis relinquendæ? verùm has ille jam pridem vel reipsa vel affectu abjecit. an dignitates aliis cedendæ? sed has non solùm nunquam ambiit, sed semper sprevit. num perdendæ sensuum deliciæ? at his pri-

(z) Epist. ad Cyprianum presbyterum.

dem ſibi ſevera lege interdixit. Sed nec contriſtabunt eum negotia abrumpenda; cùm his ſe ſolùm mutuaverit: nec amici abdicandi; cùm ejus amicitia ſe ultra aras non extenderit: nec caro in cineres redigenda; hanc enim diu jam hoſtis loco habuit: nec mundus deſerendus; nam ſemper conſideraverat ſe tanquam advenam & peregrinum ſuper terram, *non habentem hic manentem civitatem.* (aa)

Hinc morti voraciſſimo illi mortalium helluoni ultro intrepidus occurrit, ſuumque corpus ſponte illi devorandum obtrudit, ut vivo hoc carcere deſtructo, mens tandem ad ſupera eò citiùs avolet libera. Imminentem illum latronem oſſeum lætus excipit, irridetque; cùm prævia omnium abdicatione, nil illi, quod rapere queat, reliquum fecerit. Falcigerum illum Divinæ Nemeſis lictorem, ſe ad tribunal evocantem, paratus ſequitur; cùm conſcientiæ rationes optimè compoſitas habeat. Ipſi, quos in extremis pati-

(aa) Hebr. 13. v. 14.

patitur, dolores eidem gaudii materia ſunt, eò quòd anticipata ſolutio ac mite lytrum ſint, queis luenda aliàs in luſtrali carcere debita expunguntur, ac diuturni immanesque cruciatus levi impendio redimuntur.

Exemplo nobis ſit Franciſcus Suarez, illud Societatis noſtræ ſidus illuſtriſſimum, qui inſigni doctrinæ excellentem ſanctimoniam adeò felici nexu copulare noverat, ut orbem dubium reliquerit, quænam alterutri palmam præripuerit. Hic ergo agoni proximus in hæc verba erupiſſe traditur: *nunquam putabam, tam ſuave eſſe mori.* Similia de aliis quoque narrantur, qui ad extrema deducti, cœleſtibus deliciis innatantes, euchariſticas Numini laudes pioſque hymnos vel præïerunt ipſi, vel alios decantare juſſerunt.

Scilicet ſtellæ erant terreſtri vapore immunes: gemmæ erant nativo cortice exemptæ: aquilæ erant infectas viſco pennas exutæ. Verbô: animæ erant omni mundano affectu liberæ,

Et hinc torrente voluptatis eo etiam tempore potabantur, quo mundi suique cultores *moriuntur in amaritudinibus animæ suæ.* (bb) Terræ pertæsi, cœlorum avidi, appetituum domini, non nisi illum respirabant, quem unicè amabant. Intensissimi amoris actus, flammantia ad cœlum suspiria, ardentia DEI videndi desideria ultimi eorum conatus erant, inter quos illi instar lucernæ in domo Domini lucendo: instar thymiatis in ara templi exspirando: instar holocausti charitatis igne leniter consumpti, summas inter dulcedines ad Superos migrârunt, æternùm coronandi. Ex his abunde liquet, justi hominis mortem suavissimam fore ob vacuum creatis affectionibus animum; quam adhuc dulciorem reddet Christi è trabe pendentis aspectus, cujus effigies plerumque unica moribundi eaque obvia supellex est.

3. O quàm plenum solatio spectaculum erit Servatoris ligno affixi simulacrum

(bb) Job. 21. v. 25.

lacrum iis, qui secundùm hoc exemplar mores composuerunt. O quantam in divino hoc prototypo consolationem moriens nanciscetur ille, qui ita vixit, ut verè de se ipso dicere possit: *Christo confixus sum cruci.* (cc) Nam defixus in ejusmodi imaginem pio cum sensu intuitus 1. lenit dolores corporis; 2. auget fiduciam animæ.

Inprimis quòd is miræ virtutis balsamum sit, allevandis morborum molestiis aptissimum, in comperto est illi, cui latentia ibidem mysteria distinctiùs sunt perspecta. Si enim aquæ Maræ per immissum à Moyse lignum *in dulcedinem sunt versæ;* (dd) si Eliseus per inspersam pulmento farinam *abstulit, quidquid amaritudinis in olla fuit;* (ee) quid non efficiet, animata fide memoria patientis pro nobis DEI? Si aspexisse *serpentem æneum pro signo positum* (ff) ægrotantibus Israëlitis tantum levamen attulit; quid

(cc) Gal. 2. v. 9. (dd) Exod. 15. v. 25.
(ee) 4. Reg. 4. v. 41. (ff) Num. 21. v. 9.

quid non allevamenti afferet conspectus illius, cujus teste Augustino *æneus ille serpens solùm figura fuit?* (gg) Nempe oculorum in ejusmodi effigiem conjectus *botrus cypri* erit, (hh) *& dulcis gutturi fructus*, (ii) qui cœlesti suavitate, quidquid amaroris ægrotatio creat, plurimùm mitigabit.

Nec mirum; dum enim pia mens *suum dilectum ex millibus electum*, (ll) flagellis discerptum, spinis redimitum, clavis perforatum, lancea transfixum miseranti obtutu considerat, pudet eam sub capite spinoso esse membrum tam delicatum. Dum suos, quos tolerat, dolores cum illis ærumnis: sua, queis sordet, crimina cum Illius innocentia componit; rubore suffunditur, quòd tantillum ei tot gemitus exprimat. O mi JESU! dolens ingemiscit: tu integrum calicem uno tractu exhauris; & residuam ego eamque unicam, quam mihi propinas, guttulam sorbillare recu-

(gg) Serm. 101. de tempore. (hh) Cant. 1. v. 13. (ii) Cant. 2. v. 3. (ll) Cant. 5. v. 10.

cusem? *magna est velut mare contritio tua;* (mm) & me tenius hæc stilla demergat? Absit à me tanta tecum dissimilitudo. *non enim est servus major Domino suo*, (nn) nec melior. proin hìc ure, hìc seca, modò in æternùm parcas.

Adhæc dum Christum audit tormentorum adhuc plura sitientem, quo suum homini amorem testetur: dum eum videt paratum, *pro unaquaque anima denuo mori, idémque, quod semel pertulit, supplicium iteratò pati;* (id quod eum esse, S. Birgittæ divinitus innotuit) hæc, inquam, cùm perpendit, piè sibi irascitur, illamque divinam sitim æmulando, etiam ea afflictionum amplius, amplius infirmitatum expetit, provocatque. Quo ipso animi vigore etiam corporis cruciatus plurimùm allevantur. Unde patet, quàm potens eorum lenimen pius morientis JEsu aspectus sit.

Sed nec minorem is animæ fiduciam addit. Quem enim illa timeat hoc

(mm) Thren. 2. v. 13. (nn) Joan. 13. v. 16.

hoc clypeo munita? Quid non ſperet hoc pignore erecta? *Ecce DEUS Salvator tuus* (cum Iſaia tali moribundo inclamari poteſt; dum eidem Chriſti è cruce penduli imago porrigitur) *ecce DEUS Salvator tuus!* proin *fiducialiter age;* quia *ipſe eſt fortitudo tua; ipſe factus eſt tibi in ſalutem.* (oo) In eo poſſides invictam contra tentationes panopliam, univerſalem contra animi morbos panaceam. Si cupiditatum æſtus te cruciet, *fons eſt aquæ ſalientis in vitam æternam*, (pp) qua profanos ignes victor reſtinguas. Si ſtygius te milvus perſequatur, ejus vulnera ſunt *caverna maceriæ, & foramina petræ,* (qq) quò inſtar columbæ tuta confugias. Si *urgeat ſuper te puteus os ſuum*, (rr) illius cor *civitas refugii* eſt; (ss) ubi defenſa quieſces. Clavi anchora ſunt, qua omnis tua ſpes ſolidabitur; crux tabula eſt, in cujus complexu in beatæ æternitatis portum ſecura enatabis. Edic jam, an

(oo) Iſa. 12. v. 2. (pp) Joan. 4. v. 14.
(qq) Cant. 2. v. 14. (rr) Pſal. 68. v. 16.
(ss) Joſue 29. v. 32.

an non ſolida hæc ſalutis pignora ſint? an non potentia fiduciæ incitamenta?

At nondum hìc ſtitit ſui prodigus Servatoris amor; ut enim omnem ex animo tuo diffidentiam pelleret, ſuæque te charitatis certum redderet, morituriens caput inclinat ad oſculum pacis: extendit brachia in amplexus: latus aperit in aſylum, ſanguinem fundit in animæ balneum. Inſuper advocatum tuum apud Patrem agens, ſupplici gemitu veniam tibi his ab eodem verbis exorat: *Pater demitte illi:* (tt) *recordare paupertatis meæ, abſynthii ac fellis*, (uu) *& parce ei ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum.* (xx) Certè marpeſia caute durior es, ſi hæc tibi fidentiam non inſtillant.

Quid enim? plúsne ergo efficaciæ inſit ſanguini Abelis, quàm voci Chriſti? quis blasphemus annuat? Si ergo ille

(tt) Luc. 23. v. 34. (uu) Thren. 3. v. 19.
(xx) Eſdr. 13. v. 22.

ille, clamans de terra ad cœlum, inde ultricem pœnam detraxit; quanto magis vox ſanguinis Filii, aſcendens è cruce ad Patrem, nobis veniam impetrabit? Si nec homines *dant ſcorpionem* flagitanti *ovum*, *aut lapidem* poſcenti *panem*; quantò minùs *Pater cœleſtis* negabit *ſpiritum bonum*, id eſt, gratiam petenti eam pro nobis Nato? & quidem ſummos inter cruciatus exſpiranti Nato? (yy) Si Is à DEO *exauditus eſt pro ſua reverentia*, (zz) dum ſupplicat pro inimicis; quantò magis omnia obtinebit, dum orat pro anima fideli & virtutis amante? Ah! Numinis pupillam lædit, qui JEſum morientem conſiderans, de ſua ſalute diffidit; cùm omnia in eo cœleſti vadimonio æternam nobis vitam promittant. Proin deſperanter dejectus eſt, quem iſta in ſpem non erigunt.

Quis ergo neget, pium Salvatoris ligno affixi conſpectum lenire dolores corporis, & addere fiduciam animæ? adeoque hominis juſti tranſitum non ſo-

(yy) Luc. 11. v. 11. & ſeq. (zz) Hebr. 5. v. 7.

ſolùm eſſe *bonum ob requiem à laboribus præteritis;* ſed præterea eſſe *meliorem ob ſuavitatem ſolatii præſentis*, quod tunc in eum ex triplici fonte ſcaturiet, nempe ex teſtimonio conſcientiæ bonæ: ex vacuo creatis affectionibus animo: denique ex Chriſti è cruce penduli aſpectu.

III. Adhæc idem juſti obitus inſuper erit *optimus ob ſecuritatem ab anxietatibus futuris*, ſeu ab illo timore noviſſimorum, qui homines tepidos in illo rerum articulo horrendùm cruciare conſuevit; *non timebis.* Nam tria præcipuè perfectionis incurioſum ſub vitæ finem anxium habere ſolent, nempe mors, judicium, & carcer luſtralis; illa terret ob omnium privationem, iſtud ob Judicis rigorem, hoc ob pœnarum acerbitatem. Nihil horum virtutis ſtudioſus in extremis conſtitutus multopere formidat.

III. *Ob ſecuritatem ab anxietatibus futuris, ſeu à timore noviſſimorum.*

1. Cùm enim, dum integra adhuc valetudine gauderet, ſibimet ipſi cum Apoſtolo *quotidie ſit mortuus*, (a) id

(a) 1. Cor. 15. v. 31.

est, cùm indies affectum à rebus terrenis ampliùs abstraxerit, suisque se commodis exuerit; cùm cor suum à sensuum blanditiis & honorum illiciis quovis die magis ac magis avulserit, & sic animam à corpore lento discidio gradatim sejunxerit; cùm per quotidianam ultimæ horæ considerationem se familiarem morti cicuremque reddiderit, tantum abest, ut eam metuat, ut etiam ambiat; hoc ipso enim, quòd nullius rei affectione captivus detineatur, omnibus mundi vinculis liber multa lubentia eò proficiscitur, quò tot annorum vota jam turmatim præcesserant.

Dein novit perbene ex Tertulliano, *non esse timendum, quod nos liberat ab omni timendo*, (b) scilicet à cruciatibus carnis & ærumnis animæ, præsertim à malorum omnium maximo nempe peccato. Id ergo cùm præstet mors; cùm felicem ea impotentiam inducat & patiendi, & peccandi, eandem non solùm non horret, sed po-

(b) Tertull. lib. de anima.

potiùs optat. Scit ex Seneca, *nihil eſſe in fato terribile niſi ipſum timorem.* Et hinc etiam ipſe cum eodem exclamat: *pone, quæſo, larvam iſtam, ſub qua lates, & ſtultos territas; mors es, quam nuper ſervus meus & ancilla contempſit;* (c) cui tot milites & nautæ imperterrita fronte obviàm quotidie in occurſum ruunt. Senſui dolorem inferre poteris, non animo; & quidem talem ſolùm dolorem, qui reliquis imponat finem, & quo graviorem innumeri jam ſunt perpeſſi. Quis ergo prudens te metuat?

Præterea credit, præſentem hanc vitam eſſe exilium à cœlo, divortium à ſupremo Bono, blandamque captivitatem, quæ privat perfecta libertate filiorum DEI, & quæ quò longiùs producitur, eò diutius nos à cœleſti patria arcet. Fatetur, eam ob curas, queîs pungit: ob negotia, queis diſtrahit: ob tædia, queîs obruit, amori divino ingenti impedimento eſſe; eandemque ob violentiam cupiditatum,

(c) Lib. 3. epiſt. 24.

ob tenebras intellectûs, ob corruptelam perversæ voluntatis hominem constituere in morali quadam necessitate optimum Numen offendendi. Quin imò certus est, si eam sibi diutius protrahere contigerit, se denuo levi saltem piaculo conscientiam fœdaturum.

Ex altera verò parte à S. Ambrosio docetur, ultimum ex hoc mundo discessum *non tam naturæ quàm malitiæ terminum, non tam vitæ quàm culpæ finem, non tam hominis quàm criminis sepulturam esse.* (d) Ex S. Gregorio Nazianzeno audit, quòd *mors Sanctorum non mors*, sed, mutato nomine, *ad DEUM discessus, desiderii cumulus, vinculorum solutio, oneris excussio sit appellanda.* (e) Hinc etiam ille cum Jona hujus auræ pertæsus ingemiscit: *Domine tolle, quæso, tolle animam meam à me; quia melior est mihi mors quàm vita.* (f)

Denique in comperto habet, nos hic *in stadio currere, & in agone contende-*

(d) Lib. de fide resurrectionis. (e) Orat. 18. in laudem Cypriani. (f) Jonæ. 4. v. 3.

tendere ; (g) nam *militia eſt vita hominis ſuper terram.* (h) Scit, vivendi curriculum difficilem & periculoſam peregrinationem eſſe ; *quoniam, dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* (i) Novit, annorum ſeriem diuturnum quoddam ſupplicium, lentumque martyrium eſſe ; nam *tota vita Chriſtiani, crux eſt & martyrium.* (l) Hanc ergo militiam, peregrinationem, & martyrium finiri eò impenſiùs deſiderat, quò proximiùs à victoria, termino, & corona diſtat. Cúmque DEUM facie ad faciem intueri, eum perfecto complexu poſſidere, eique intimo nexu uniri ardentiſſimè cupiat ; ſimul tamen cognoſcat, ad hanc felicitatem alia quàm per obitum via perveniri haud poſſe, omni hora illud momentum adeſſe exoptat, quo, poſitis exuviis, beata neceſſitate amabiliſſimum Numen perpetuò amare cogatur. Amandato procul omni mor-

(g) 1. Cor. 9. v. 24. (h) Job. 7. v. 1. (i) 2. Cor. 5. v. 6. (l) Auguſtin. ſerm. 1. de tempore.

tis timore cum Davide ſuſpirat: *concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* (m) *heu! mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt.* (n) Educ tandem ô Domine! *educ de* hac corporis *cuſtodia animam meam.* (o) Nempe *qui levare poterit faciem ſuam absque macula* ad cœlum, is teſte Huſſæo Vate in agone *erit ſtabilis, & non timebit* mortem. (p)

2. Sed nec formido inſtantis judicii magnam juſto, ad extrema deducto, ſolicitudinem injiciet. Meminit quidem, quod *Juſtitia DEI ſicut montes*, ejusque *judicia velut abyſſus* circumvallent judicandum. (q) Non ignorat, illud tribunal eſſe ſupremum, latamque ibidem ſententiam fore immutabilem. Credit, Judicem eſſe omnium ſcientem, rigidiſſimum, inexorabilem. Sed tamen inſuper etiam novit, illud ipſum infallibile Numen tum per Eccleſiaſticum, tum per Apoſto-

(m) Pſal. 83. v. 3. (n) Pſal. 119. v. 5. (o) Pſal. 141. v. 8. (p) Job. 11. v. 15. (q) Pſal. 35. v. 7.

ſtolum ſanctè promiſiſſe, *ante judicium interrogantem ſeipſum, in conſpectu illius inventurum propitiationem.* (r) item: *qui ſemetipſos judicaverint, non eſſe judicandos.* (s) Cùm ergo conſcientia ei teſtimonium perhibeat, ſe per accuratam animi perſcrutationem in omnes nævos indagaſſe; & dein per ſinceram, claram & integram exomologeſin omnia errata ſacro judici rite expoſuiſſe; cúmque eadem conſcientia interno quodam vadimonio de amicitia divina eum mira ſpe ſecurum reddat, omni pavore liber intrepido pede coram eo ſe ſiſtit, de quo ſacræ Paginæ affirmant, eſſe *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* (t)

Verum quidem eſt, æterna DEI in eligendis ad gloriam, & reprobandis mortalibus decreta, eſſe incomprehenſa & myſterio pleniſſima. At ſimul etiam verum eſt, *illius miſericordiæ non eſſe numerum, & bonitatis infinitum eſſe the-*

(r) Eccli. 18. v. 20. (s) 1. Cor. 11. v. 31.
(t) Pſal. 144. v. 9.

thesaurum; (u) ex quo cùm talis recordetur, tot jam in se tamque singulares gratias fuisse profusas, his modò etiam finalem accessuram magna fidentia sperat; adeóque non ùt hostem se, sed ùt amicum, hæredem & filium in illo tribunali habitum iri, magnopere confidit.

O *Judex vivorum & mortuorum!* (x) fidenter exclamat: *equidem iniquitatem meam ego cognosco; tibi peccavi: malum coram te feci.* (y) Fateor, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum,* (z) *& multiplicatæ sunt super capillos capitis mei.* (aa) Sed tamen *memor esto verbi tui, in quo mihi spem dedisti.* (bb) Tu enim enunciasti per Ezechielem: *convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* (cc) Tu promisisti per Zachariam: *convertimini ad me, & ego convertar* ad

(u) Eccles. in orationibus missæ. (x) Act. 10. v. 42. (y) Psal. 50. v. 5. & 6. (z) Psal. 37. v. 5. (aa) Psal. 39. v. 13. (bb) Psal. 118. v. 49. (cc) Ezech. 18. v. 30.

ad vos. (dd) Habeo chirographum tuum: teneo verbum tuum. Jam verò ô Pater miſericordiarum! en! *egi pœnitentiam: ad te ſum converſus;* id teſtatur conſcientia. Ergo & tu jam *convertere ad me, ne ſit mihi in ruinam iniquitas;* (ee) ne potentia tibi aut fidelitas defuiſſe dicatur, quò minùs promiſſis ſteteris. Ah! ſtabis; quis dubitet? etiam me, tuo judicio abſolutum, beato pœnitentium choro benignè adjunges. Ita ſe ſolatur, & animat Juſtus in limine æternitatis conſtitutus.

Illa ſacri Codicis verba: *ſi peccator egerit pœnitentiam, omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei; ſed vita vivet:* (ff) hæc, inquam, verba ſcuti loco eidem ſunt, quo vibrata Juſtitiæ tela tutus excipit, & avertit; illumque, quem aliàs moribundis judicii hujus rigor incutere ſolet, terrorem ſi non omnino ex animo expellit, plurimùm ſanè minuit, alle-

(dd) Zach. 1. v. 3. (ee) Ezech. 18. v. 30.
(ff) Ezech. 33. v. 16.

vatque. Nempe verissimum est, quod præsagit Bernardus: *bonam conscientiam fore securam, cùm corpus morietur: securam, cùm anima coram DEO præsentabitur: securam, cùm utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur.* (gg)

3. Denique ad pœnas quod attinet in lustrali carcere fors subeundas, neque has nimiopere timet; cùm illas anticipato providè lytro per spontaneas corporis castigationes, intensos virtutum actus, & multiplicem Ecclesiæ indulgentiam si non omnes, saltem maximam partem, præviè exolverit. Nixus illo Christi effato: *misericordes misericordiam consequentur*; (hh) item: *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: (ii) non adeò sibi ab ignis illius acerbitate metuit; cùm enim detentis in purgantibus flammis animabus magno semper ardore & constanti pietate succurrerit, indeque illas eximere omni conatu studuerit, firmiter

(gg) Lib. de interiori domo c. 23. (hh) Matth. 5. v. 7. (ii) Marc. 4. v. 24.

miter ſperat, ſe propterea innoxium per illos ultrices rogos tranſiturum; idque beneficio illius, qui, quod ſuis exhibetur, charitatis opus ſibi impenſum exiſtimat; cùm dicat: *quod feciſtis uni ex his, . . . mihi feciſtis.* (ll) Ex quo concludit, fieri haud poſſe, ut Chriſtus iisdem vinculis indui ſinat illum, qui eum iis toties exolvit, quoties alios inde libertati reſtituit.

Quodſi etiam Divinæ Nemeſi aliquid debiti perſolvendum ab eodem ſit; ſi etiam cum illo ſonte Villico in igneum illud ergaſtulum mitti eum contingat, ibidem tamdiu excruciandum, *donec reddat noviſſimum quadrantem;* (mm) tamen magnopere confidit, ſe per aliorum ſacra precesque piaculares, per Sanctorum ſuffragia & Beatæ Virginis ſupplicationem brevì inde liberatum iri. Præcipuam verò fiduciæ ſuæ anchoram firmat in meritis Chriſti, quæ non ſolùm valore infinita, ſed Illius dono etiam noſtra ſunt.

(ll) Matth. 25. v. 40. (mm) Matth. 5. v. 26.

ſunt. Hæc ergo peculiari confidentia æterno Patri in lytrum offert, certus ea rejicere nec Juſtitiam poſſe, nec Miſericordiam velle; cùm illa exhibendo eminenter plus ſolvat, quàm debeat.

Et demum, ſi etiam ultor DEUS absque omni venia eum juſti rigoris hoſtiam eſſe jubeat; ſi vindici ſuo furori eundem plenè ſacrificare implacabilis decernat: ſi etiam contractas labes ſeverus Judex quàm diutiſſime illis cruciatibus expiari ab eo iratus cupiat; pronus adorat imperium Numinis: oſculatur caſtigantem Patris manum, & æquiſſimæ ejus ſententiæ ſe promptum ſubmittit. Gaudet, quòd ſibi Miſericordia abuſo, ſaltem Juſtitiam extollere detur, & patiendo ſupplere, quod agere neglexit. Qua ipſa voluntatis ſuæ cum Divina conformitate nimium ignis illius metum haud parum mitigat, ſedatque. Quo fit, ut non ſolùm mortis & judicii, ſed nec luſtrici carceris ſupplicia magnopere timeat; adeoque ejus obitus omni-

omnino placidiſſimus ſit etiam propter ſecuritatem à timore noviſſimorum.

O igitur mortem Juſti verè bonam propter requiem à futuris: *quieſcet*; meliorem propter ſuavitatem ſolatii præſentis: *ſuavis erit*; denique optimam propter ſecuritatem ab anxietatibus futuris: *non timebit.* Unde manifeſtè concluditur, homines pietatis genuinæ ſtudioſos non ſolùm beatè vivere, ſed etiam quietè mori. Quo quid utilius promitti? quid excellentius in hac adhuc vita ſperari? quid ad perſuadendum perfectionis ſtudium efficacius afferri poſſit?

An non ergo enormis amentiæ rei ſumus, ſi tam inſignium bonorum jacturam inertes facimus? Si hac vitæ beatitate & mortis quiete privari nos ſinimus propter .... vah! pudet eloqui; propter crepundia, quæ vel propalare horremus; ob pugillum cineris, qui cum vento in auras abit: ob modicum mellis, *quod guſtatum affert*

mor-

mortem. (nn) Agite, in unam bilancem conjiciamus omnes illas sensuum voluptates, carnis commoda, mundique illecebras, quarum amore sanctimoniæ callem deserimus; alteri verò imponamus illa solatia, queis anima perfectionis avida tum in hoc adhuc mundo existens, tum inde in alium migratura gaudet, fruitur, & abundat. O quanta intercapedine posteriora hæc, illa priora dignitate & suavitate superant, exceduntque; & nihilominus *flumina Babylonis* (oo) huic deliciarum mari stolidè anteponimus.

Comparemus laborem in acquirenda sanctitate exantlandum cum illa fatigatione & conatu, quem obtinendis rebus creatis impendimus, & patebit, jure etiam nos cum illo Asceta ingemiscere posse: *ô Domine! quonam venimus? ecce! damnum defletur temporale; pro modico quæstu laboratur, & curritur; & spirituale detrimentum in oblivionem transit, & vix seriò reditur.*

Quod

(nn) Job. 6. v. 6. (oo) Psal. 136. v. 1.

Quod parum vel nihil prodeſt attenditur; & quod ſummè neceſſarium eſt, negligenter præteritur. (pp) Omnes quidem cupimus felices vivere: nemo eſt, qui non ſummis votis ambiat beatè mori. Porro ad terreſtrem hanc beatitudinem unica deducit via, nempe conſtans virtutis cura. Hæc ſcimus; imò etiam credimus; & tamen ipſiſſima hæc virtus eſt, quæ vilipenſa tantopere negligitur, & quibuslibet nugis poſtponitur. An non ſanguineis digna lacrimis hæc ſocordia eſt?

Igitur tandem aliquando domeſtico huic ac coævo nobis errori larvam detrahamus, & ad ſectandam probitatem ſolidam nos identidem incitemus ſpe bonorum per eam tum in vivis, tum in agone acquirendorum. Jam nunc præſtemus, quod tunc in illo rerum articulo feciſſe optabimus; cúmque horreamus, fatis concedere cum tepidis, ætatem agamus cum fervidis. Nam mors eſt echo vitæ: qui vult mori in Domino, non vivat niſi DEO;

(pp) Th. Kemp. l. 3. c. 44.

DEO; illiqúe ſanus conſecret omne id, quod ei obitum reddere inquietum poſſit.

O ſortis noſtræ Arbiter DEUS! jure aſſeveraſti, *beatos eſſe immaculatos in via*, (qq) *& timenti te bene fore in extremis*; (rr) hinc credo, (Te id aſſerente) quia *pretioſa eſt in conſpectu tuo* vita & *mors Sanctorum*. (ss) *Moriatur* igitur etiam *anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*. (tt) Verùm cùm id fieri nequeat, niſi etiam mores moribus reſpondeant; fixum eſt, hodie adhuc auſpicari ſanctius vivendi genus per ſacrificium illius rei aut affectionis, quæ hucusque majoris in virtute progreſſûs princeps obſtaculum fuit. Tu, *ſine cujus Numine nihil eſt in homine*, (uu) exequendo huic propoſito neceſſarias ſuffice vires; ut & ego eſſe merear ex numero illorum electorum, qui beatè vivunt, & placidè moriuntur.

§. III.

(qq) Pſal. 118. v. 1. (rr) Eccli. 1. v. 13. (ss) Pſal. 115. v. 15. (tt) Num. 23. v. 10. (uu) Eccleſia in oration.

§. III.

De opposito spei vitio, seu de perfectionis desperatione.

EQuidem fatemur, virtutem solidam ad summæ nos beatitudinis apicem evehere. Concedimus Justi sortem tam in vita quàm in morte felicissimam esse; illumque *cum Maria optimam partem elegisse*, (a) qui ejus acquirendæ studio se totum addicit. Admiramur miram ejusmodi hominis etiam in adversis quietem: suspicimus in eo mentem terrenis omnibus superiorem: invidemus ei mortem omni somno tranquilliorem. At verò semita, quæ illuc tendit, hæc nimis arcta nobis & angusta: hæc confragosa nimis & aspera videtur; hinc eam inire horremus.

Similes sumus illis exploratoribus, qui missi fuerant, ut regionem, quam DEUS Israëlitis promiserat, inspice-

(a) Luc. 10. v. 42.

rent; quiqúe inde reversi coram omni populo fassi sunt, *terram quidem lacte & melle manare*, fructus ejus esse uberrimos, glebam felicissimam; attamen eam *devorare habitatores suos: urbes habere grandes atque muratas: ibique monstra quædam esse de genere giganteo;* unde desperati concludebant: *nequaquam valemus obtinere eam.* (b) Hæc, inquam, figura est illorum, qui, licèt agnoscant, vitæ beatitatem & mortis tranquillitatem, qua sanctitas suos asseclas in hoc adhuc mundo coronat, esse summam; tamen eam, nescio, queis portentis circumseptam esse somniant, quæ instar Colchici illius draconis omnem illis aditum ad vellus hoc aureum præcludant.

Porro triplicis potissimùm generis solent esse illi obtentus, quibus nostram in procuranda virtute solida inertiam palliamus, & ob quos de perfectione desperamus, nempe 1. naturæ indoles, 2. vitæ conditio, 3. laboris arduitas; quorum inanitatem præ-

(b) Num. 13. v. 27. & seq.

præſens paragraphus ob oculos ponet, & oſtendet, licèt pietatis via ſpinis obſita ſit, tamen eas haud usque adeò pungere: licèt arcta ea ſit, tamen adeò anguſtam haud eſſe nec aſperam, ut generoſo pede perrumpi nequeat; illaque monſtra non niſi inania phantaſiæ ludibria, propriiique amoris figmenta eſſe.

I. Ad primam igitur excuſationem quòd attinet, nihil communius eſt hac nænia, dicentium: ô felices illos, qui cum Salomone *ſortiti ſunt animam bonam*, (c) vel cum *Sadoc egregiam indolem!* (d) his enim facile eſt, *aſſumere pennas ſicut aquilæ, ambulare, & non deficere* (e) in via perfectionis. At verò ego, *cujus ſenſus & cogitatio in malum prona ſunt ab adoleſcentia;* (f) & cujus appetitus *abierunt poſt pravitatem cordis;* (g) ego, qui *captivatus in lege peccati, quæ eſt in membris meis, quod nolo malum, hoc ago;* ego, inquam, *infe-* I. *Naturæ indoles.*

(c) Sap. 8. v. 19. (d) 1. Paral. 12 v. 28. (e) Iſa. 40. v. 31. (f) Gen. 8. v. 21. (g) Jerem. 9. v. 14.

infelix homo (h) quî potero, terram exutus, non nisi cœlum respirare?

Ita est, ait alius, non omnis fert omnia tellus: non cuilibet glebæ inseri flores queunt, nec quolibet ex trunco sanctus exsculpi potest. Sunt enim, quibus ipsa humorum & inclinationum diversitas ingenti obstaculo sunt. Quî enim fieri possit, ut ille, qui ob fervidam bilem sinu leonem nutrit, migret in mitem agnum? qui ob ebullientem in venis sanguinem vivum hydrargyron est, fiat *sicut nycticorax in domicilio, aut sicut passer solitarius in tecto?* (i) ut is, qui ob dominantem sibi melancholiam ingenita affectus tristitiâ est, innubi fronte adversa ferat? Aut qui ob abundantem pituitam totus limaceus ac testudineus est, cœlestibus flammis ardeat, & ad sanctimoniæ culmen *similis capreæ, saliens in montibus, & transiliens colles*, eluctetur? (l) Quis à luteo homine id miraculi speret? Nempe quàm parum

(h) Rom. 7. v. 19. & seq. (i) Psal. 101. v. 7. & 8. (l) Cant. 2. v. 9.

rum *mutare poteſt æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas,* (m) æquè parum talis congenitum ſibi vitium exuet, ac oppoſitam virtutem induet.

Nihilominus his inſuper habitis, ajo, & contendo naturæ indolem, ſive ignea ea ſit ſive terrea, pituitoſa aut ſanguinea, ſanctitati acquirendæ non ſolùm nulli impedimento, ſed ingenti etiam (modò quis artem calleat) adjumento fore. Id quod innuere videntur illa quatuor animalia Ezechieli olim oſtenſa, quorum primum hominis ſpeciem gerebat, alterum leonis, tertium aquilæ, quartum denique ſimilitudinem bovis præſeferebat. Hæc enim quatuor animalia, per quæ (ùt interpretes volunt) illi quatuor humores nobis exhibentur, qui varia hominum temperamenta conficiunt; hæc, inquam, quatuor animalia *coram facie ſua ambulabant; ubi erat impetus ſpiritûs, illuc gradiebantur;* (n) id eſt, vim ſpiritûs, à quo attrahebantur, ita ſequebantur, ut neque

(m) Jerem. 13. v. 23. (n) Ezech. 1. v. 12.

dextrorſum, neque lævorſum aberrarint; qua myſtica imagine docemur, nullam corporis conſtitutionem, mentísve habitudinem obtinendæ perfectioni obeſſe; nam licèt nobis æquè iracunda foret natura ac leoni, æquè volatilis ac aquilæ, æquè lenta ac bovi, æquè tandem inconſtans ac homini, qui *nunquam in eodem ſtatu permanet*; (o) nihilominus tamen ſi ductum gratiæ fideli flexu ſecuti fuerimus, per juſtorum ſemitam recto curſu ad virtutis bravium perveniemus.

Exemplis res clareſcet. Quis enim erat ingenio magis truculento quàm Paulus? Quis in voluptates magis propenſo quàm Magdalena? Quis divitiarum magis avido quàm cum Matthæo Zachæus? Et tamen omnes quatuor, inſuper habita ſua hac adeò viſcoſa ac rebelli propenſione, magnum ſanctitudinis gradum ſunt adepti. *Saulus* (qui & Paulus) *erat ſpirans minarum ac cædis in diſcipulos Domini.* (p) Magdalena erat nota *in civitate peccatrix.* (q)

(o) Job. 14. v. 2. (p) Act. 9. v. 1.

(q) Matthæus *ſedebat ad telonium*, (r) eidem non tam corpore quàm mente affixus. Zachæus erat *princeps publicanorum*, (s) id eſt, eorum, qui iniquis fœnerationibus quæſtum facere conſueverant. Et tamen ille fit ſubitò *vas electionis:* (t) *iſti dimittuntur peccata multa:* (u) ex ultimis duobus unus *Apoſtolus*, (x) alter *filius Abrahæ* audit. (y) Quis ergo naturam obtendat, quò minùs ſanctitati intendat?

Et quamvìs ejusmodi mutationes victricis gratiæ miracula ſint, non tamen adeò infrequentia ſunt, ut ſimilia à nobis ſperari haud poſſint. Percurrantur Eccleſiæ faſti, evolvantur Sanctorum annales, & ſummam virtutem cum indole ſanguinea, bilioſa, melancholica, & pituitoſa eodem ipſo nexu compoſita reperiemus, quo olim ab Iſaia *lupus cum agno, pardus cum hædo, leo cum ove, & vitulus cum urſo habitare ſunt viſi.* (aa)

(q) Luc. 7. v. 37. (r) Marc. 2. v. 14. (s) Luc. 19. v. 2. (t) Act. 9. v. 15. (u) Luc. 7. v. 47. (x) Luc. 6. v. 15. (y) Luc. 19. v. 9. (aa) Iſa. 21. v. 6.

Documento nobis ſint Auguſtini, Gualberti, Guilielmi aliiqúe innumeri, qui non obſtante inclinationum perverſitate magna modò altarium decora ſunt. Itaque *agnoſcamus* cum Ambroſio, *Sanctos non fuiſſe naturæ præſtantioris, ſed obſervantiæ majoris.* (bb) Cúmque illi idem fuerint, quod nos ſumus, fieri etiam nos poſſe, quod illi nunc ſunt; modò eandem, quam ipſi, etiam nos ineamus viam.

Certè in illa ingenti multitudine Iſraëlitarum procul dubio plurimi numerabantur, qui eadem, qua nos vel etiam vehementiori, mentis intemperie agitabantur; qui æquè leves ac nos fuerant, æquè iracundi, triſtes ac torpidi; & tamen etiam hos & quidem omnes, neminem excipiendo, renum ſcrutator DEUS ſanctos eſſe juſſit, atque perfectos, *dicens ad Moyſen: loquere ad omnem cœtum filiorum Iſraël: ſancti eſtote, quia ego Sanctus ſum Dominus DEUS Veſter.* (cc)

Jam

(bb) Ambros. in lib. de Joſeph. (cc) Levit. 19. v. 2.

Jam autem æquiſſimum Numen impoſſibilia haud imperat. Ergo etiam illis, qui ejusmodi effrænatis animi motionibus infeſtabantur, perfectio poſſibilis erat: ergo etiam nobis poſſibilis eſt. Adeóque etiam tu ô bilioſe, non obſtante hac tua ad iram proclivitate: etiam tu ô ſanguinee cum omni tua ad voluptates propenſione: etiam tu ô melancholice & phlegmatice cum atra tua bile & dominante pituita fieri ſanctus potes; quid dubitas? potes. Nam etiam tu ex numero illorum es, quos teſte Apoſtolo *DEUS vocavit vocatione ſua ſancta, ut eſſent ſancti.* (dd) Inanis proin ac futilis eſt, petitus ab humorum immoderatione obtentus.

Præcipuè cùm per gratiam Servatoris naturæ feritas non minùs cicuretur, quàm per inſertum feliciorem ſurculum ſylveſtris arbor corrigitur, & mutatur. Nam etiam tu, qui infauſtam te indolem ſortitum quereris, aſſerente id Paulo, *exciſus es ex natu-*

(dd) 2. Tim. 1. v. 9.

rali oleastro, & insertus es in bonam olivam, (ee) licèt enim ex oleastro appareat, quis sis per naturam, quam recepisti ab Adam; tamen etiam è contrario ex bona oliva elucet, quid esse valeas per gratiam. Es equidem sterilis arbos, culturæ impatiens, ingenio aspera, nihil præter acrimoniam habens & amaritudinem. At verò quia, *cùm oleaster esses, insertus es in bonam olivam; quia socius radicis & pinguedinis olivæ factus es;* (ff) *inexcusabilis es ô homo*, (gg) si tuo tepori humorum temperamentum obtendere pergas.

Quid enim? an ergo Christi virtus in te efficere minus queat, quàm in insito sibi surculo sylvestris truncus potest? Potest insititius ramus agrestis trunci naturam mutare; & tuam immutare Christus non valeat? Quis tantam ejus gratiæ infirmitatem affingat? Proin confide; modò illam in te tu agere sinas, nec ejus operationem

(ee) Rom. 11. v. 24. (ff) Rom. 11. v. 17. (gg) Rom. 2. v. 1.

nem prohibeas, ſenſim ea in omnes animæ facultates illabetur, eiqúe ſuas dotes communicando, eandem penitus in aliam transformabit. Sicut enim omnis acrimonia, naturalis amaritudo, cæteræque improbæ oleaſtri qualitates per inſitionis artem evaneſcunt; ita etiam omnis naturæ tuæ feritas & indolis intemperies cœleſtis auxilii ſucco miteſcet. Proinde (concludit Baſilius) *nemo in vitio conſtitutus, ſeipſum deſperare velit; haud neſcius, agriculturam immutare habitudinem ſtirpium*, (hh) & vigilem ſui curam nævos mentium.

Quid? quòd hominis temperamentum, quodcunque demum illud ſit, acquirendæ virtuti non ſolùm nulli ſit impedimento; ſed inſuper ingenti, ſi eo uti quis noverit, adjumento eſſe poſſit. Ipſa imperans menti motio, quæ prævalenti humori ſuam originem debet, ſi ad ſanctiorem ſcopum collineet, ſcala nobis erit, & ſublimis ad perfectionem gradus.

Docu-

(hh) Homil. 3.

Documento nobis ſint laudati ſuperiùs Sancti. Sic Magdalena ſuam illam ad amandum propenſionem quidem retinuit; ſolùm eandem à profano amore ad cœleſtem deflexit. Paulus quoque, poſtquam ad bonam frugem ſe receperat, æquè minax, ardens & zelans, ac ante fuerat, permanſit; ſolummodo rei objectum mutavit, ardorem illum, quem priùs perſequendæ Eccleſiæ impenderat, eidem poſtmodum propagandæ ſacrando. Matthæus avaræ fami, qua antea aurum appetierat, animarum ſitim ſubſtituit. Ignatius gloriæ militaris appetentiæ Divini honoris zelum ſubrogavit. Gualbertus odium, quo priùs hoſtem perſequebatur, in ſeipſum detorſit. Sicque mira metamorphoſi eadem ipſa affectio in adminiculum tranſiit, quæ ſanctitati obtinendæ obſtaculum fore cenſebatur.

Hanc eandem ſolertiam etiam orcus uſurpat, ut nos eò faciliùs in malum propellat. Nam teſte Cyrillo *dæmon illuc maximè nos incitat, quo nos*

per

per nosipſos inclinari perſpicit, infirmitatem noſtram ad arma nequitiæ ſuæ convertendo, & ingenii noſtri morbo adversùs nos ipſos utendo. (ii) Et hinc (ùt notat S. Leo) *omnium diſcutit conſuetudinem, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſiùs occupari.* (ll) Quidnî ergo & nos idem remedium adhibeamus ad proficiendum, quo ſtygius alaſtor tam feliciter utitur ad nocendum. Efficacitas hujus induſtriæ vel ipſum Ariſtotelem advertit, dum ſcribit, *ſpectandum eſſe, ad quæ nos procliviores ſimus, atque inde in melius objectum abſtrahendos.* (mm)

Imò aliqua ex parte optabilius videtur, potiùs ſortitum eſſe indolem aſperam quàm pacatam, & ad bonum ceream flexilemque. Dantur enim virtutes quædam, quæ adeò naturalem habent cum peculiari quorundam hominum genio ſimilitudinem, ut omnes fermè fucata ſanctitatis ſpecie deci-

(ii) In Joan. lib. 6. cap. 16. (ll) Serm. 7. de Nativitate. (mm) 2. Ethic. cap. ultimo.

decipiantur, atque naturam pro pietate ſuſpiciant. Sic non rarò dominans phlegma manſueta lenitas, melancholica tarditas prudens gravitas, affabilis comitas proximi charitas mendaci nomine appellatur. Quo fit, ut pleraque ejusmodi hominis opera ſuperni ordinis dignitate, merendiqúe vi deſtituantur, & ſub mortem appareat vitrum fuiſſe, quod is gemmam putavit. Ab hac autem deceptione eò remotiores erimus, quò magis indomitas motiones nacti fuerimus. Unde patet, easdem acquirendæ perfectioni non ſolùm nulli impedimento, ſed magno inſuper adjumento fore, ſi rite eas cicurare noverimus. Ut proin ob naturæ indolem de aſſequenda ſanctitudine nulli fas ſit deſperare.

II. *Vitæ conditio.* II. Utì nec ob vitæ conditionem. Sunt equidem, qui cenſent, perfectionem non congruere omni mortalium ſtatui, nec cuilibet hominis ætati. Eandem exiſtimant eſſe fructum quendam peregrinum, qui non niſi

in

in anachoretarum deſertis creſcat, aut in Religioſorum cœnobiis pullulet. Illam ejus generis unionem aut theſaurum eſſe arbitrantur, quem in mari æſtuantis ſæculi, aut in agro ſylveſcentis mundi reperire haud ſit. Ob turbarum ſtrepitum, negotiorum tumultum, curam familiæ ſanctitatis ſemitam mundanis imperviam eſſe opinantur. Juventutem ob ætatis teneritudinem, ſenectutem ob virium debilitatem conſcendendo virtutis monti impares eſſe autumant. Unde inferunt, ſanctimoniam nec cuilibet hominum ſtatui convenire, nec omni ætati.

Et hinc imaginaria hac impotentia freti, eandem tranquilli negligunt. Juvenes illam remittunt in ſenectam: Senes dolent, eam nil curaſſe in juventa. Pauperes invident divitibus tot adjumenta ad ſanctitudinem perveniendi. Divites gemunt, tot impedimentis ſe ab eadem arceri. Nobilis aulam, judex curiam, miles arma, ſtudioſus literas, civis opificium, ru-

ſticus

ſticus ſtivam judicant eſſe cauſam, quò minùs ſancti pridem effecti, non jam miracula patrent. Omnes inanibus ſolùm votis conſcientiam & tempus fallunt; dum non rarò ingemiſcunt: ô ſi alio in ſtatu aut loco forem! ſi alio munere occuparer, aut meliori fortuna fruerer, quàm perfectior viverem! ô ſi redirent illi anni, occaſiones, & gratiæ, quàm fideliùs illis uſurus; his verò reſponſurus eſſem! Et ſic quilibet omnem tepidioris vitæ culpam vel in munus, quod obit: vel in ætatem, quam agit: vel in locum, quem incolit: vel in perſonas, quibuſcum degit, imprudens & falſus conjicit; cùm non ſortis conditio, ſed voluntatis inertia hujus mali fons ſit & origo.

Et certè omnes hos ſplendidè falli Sanctorum annales luculenter oſtendunt. Nam (ùt ex infinitis paucos recenſeam) Henricus in throno, Radegundis in aula, Euſtachius in caſtris, Ivo in curia, Criſpinus in officina, Iſidorus agros colendo, Wendelinus

greges

greges paſcendo inſignem ſanctitudinis lauream ſunt conſecuti. Præterea Stanislaus in adoleſcentia, Aloyſius in juventute, Ignatius in virili ætate, Auguſtinus in ſenectute ſancti evaſerunt. Patricius peregrinando, Aquinas ſtudendo, Hermannus ægrotando, Blandina ancillando magnum ſanctimoniæ apicem conſcenderunt. Queis docemur, perfectioni obtinendæ nullam ſtatûs aut ætatis, nullam vitæ aut ſortis conditionem magnopere obeſſe.

Adhæc quis pluribus negotiis obrutus fuerat quàm Moyſes, Joſue, Samuel? Quis majoribus familiæ curis diſtentus quàm Abraham, Iſaac & Jacob? Quis gravioribus injuriis vexatus quàm David, Jeremias ac Job? Et tamen hi Beatis immixti modò *lucent ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* (nn) Potuerunt ergo iſti & quidem in veteri lege, non obſtantibus his remoris, ad virtutis bravium pertingere; cur tu id nequeas in lege gratiæ,

(nn) Dan. 12. v. 3.

ubi copiosior longè fortiorque est divini auxilii affluens ubertas?

Sed, missis exemplis, sola ratio de rei veritate nos convincit. Nam genuina pietas consistit in eo, ut quis rite impleat omnes injuncti à DEO muneris partes; ut recurrentes quotidie actiones obeat bene; nilque patret, vel omittat, quod fieri lex jubet, aut vetat. Jam autem id sub quovis sidere, quocunque in statu, quavis premente fortuna, à quovis præstari posse, abunde declaratum est hujus operis parte II. cap. I. §. I. num. III. Ergo etiam quivis, ubivis, quodcunque demum urgeat fatum, vivere perfectus potest.

Equidem si sanctitudo in excelso contemplationis vertice constituta hæreret. Si in tetrico solitudinis deserto, aut cruento asperitatum vepreto, aut in procellosa maris insula exul lateret; tum enimvero haberet, quod dictis opponeret ille aulæ minister & curiæ judex, ille tenellus juvenis & debi-

debilis ægrotus. At verò cui arduum adeò ac difficile accidat, ut opera aliàs peragenda etiam obeat bene? ut ipſe faciat amore cœli, quod alii præſtant amore lucri? ut eâdem accuratione ſerviat DEO, qua alii mundo? ut denique amabiliſſimum Numen haud ampliùs ſaltem pleno cum ſenſu offendat, irritet, laceſſat? Quis pervicax adeò ſit, ut hæc ſibi impoſſibilia dicat? Ergo nec vitæ conditio, quæcunque ea ſit, acquirendæ perfectioni obſtaculo eſt; cùm quodvis hominum genus ſuos heroes numeret, quorum probitas eſt evidens argumentum, quemlibet in quolibet ſtatu fieri ſanctum poſſe.

At dices: quî fieri queat, ut quis ſæculi tumultu diſtractus, familiæ curis diſtentus, variisque negotiis obrutus, puriorem virtutis reſpiret auram? At etiam hunc contendo ego, non adeò difficulter eluctari ad ſanctitatem poſſe. Nam vita pœnitens eſt breviſſima ad ſanctimoniam via; quinam autem plura habent, quæ patiantur

quàm mundani, utpote queis cruces vel domi ſuæ diu noctuque ubertim germinant. Patienter enim ferre triſtiorem uxoris genium, refractariam liberorum indolem, indociles domeſticorum mores; magnanimo ſilentio concoquere bonorum jacturam, creditorum inſolentiam, amicorum inconſtantiam; hæc, inquam, & alia his ſimilia conſtanti patientia tolerare, magni profectò ad pietatem paſſus ſunt.

Dein cui plures occurrunt occaſiones frangendæ voluntatis, ſubjiciendi intellectûs, exercendæ ſubmiſſionis, & reprimendi appetitûs, quàm mundi ſervitiis mancipato homini? Si hæc omnia amore DEI ageret, ac pateretur, ſummis Eccleſiæ ſideribus annumeraretur. Si ille opifex diurnos labores ſuos bona intentione inauraret, tenebricoſam ſuam officinam in illuſtrem virtutum palæſtram levi brachio transformaret. Verùm, cùm id facere negligant, vivunt quidem miſeri in exercitio pœnitentiæ, ſed moriuntur

ſine

ſine merito patientiæ. Fiunt martyres dœmonis, qui potuiſſent eſſe Numinis; & cum ſuis omnibus miſeriis, laboribus & ærumnis loco roſarum non niſi ſpinas colligunt, ac præmii loco ſolùm augent pœnas in luſtrali carcere exſolvendas. Hæc cùm ita ſint, quis ergo jam ſanctitudinem ſuis viribus ſuperiorem, ſuoque genio nimiùm adverſantem fingat?

At nequeo, ais, multa bona agere; ergo ſaltem patiare modicum illud, quo cruciaris, malum. Si non vales patrare magna; ergo ſaltem cave, ne negligas parva; nam cura minimorum eſt trita ad maximam perfectionem via. Si non potes proximum ſolari eleemoſynis, ſaltem ædifica exemplis. Si tibi non licet relinquere opes, ſaltem exue affectum erga illas; & in ipſo honorum apice conſtitutus, domeſticæ vilitatis tuique nihili memor, infra omnes te abjice. Nam hac quoque via ad ſolidæ pietatis pervenies culmen. Unde patet, perfectioni obtinendæ nullam vitæ condi-

tionem ita obesse, ut magno potiùs esse subsidio nequeat.

III. *Laboris arduitas.*

III. Ad tertium denique obtentum quod attinet, nempe laboris arduitatem, etiam hunc inanem nullumque esse ad oculum demonstrat vel obiter conjectus in mundi hujus universitatem obtutus. Quis enim est status in orbe, quod vitæ genus, aut quæ sortis conditio, quæ suis iisque gravibus & quidem plurimis difficultatibus circumsepta, oppleta, & infarcita non sit? Quis aulicus, miles, aut mercator est, qui non stentorea voce contendat, plura sibi fastidia devoranda, majores ærumnas exantlandas, acriores curas & metus perferendos esse quàm cuilibet cœnobitæ? Quis causidicus, opifex, magistratus suo muneri non ingemiscit, piamque Religiosis quietem non invidet? Imò quis Regum ac Imperatorum est, qui non queratur, regni coronam suis, quas occulit, spinis horrendùm pungere.

Et

Et tamen rariſſimus eſt, qui propterea à cœptis deſiſtat: ſceptrum, arma, aut merces abjiciat: vel animum puſillanimis deſpondeat. Cùm ergo hos laboris arduitas non deterreat à terreſtrium cupiditate, cur te abſterreat à ſolida probitate? cùm hi propterea ab inito ſemel calle non referant pedem, cur tu ab arrepto ſemel aratro timidam retrahas manum? Et certè fugitivus è mundo exeat neceſſe eſt, vivusque ſepulchrum ingrediatur, qui omne arduum delicatus fugit; cùm labor & dolor gemini illi cardines ſint, circa quos noſtra omnis vita conſtanti gyro circum rotatur. Inde colligas velim, quàm vana hæc & levis excuſatio ſit.

Dein ſi res æquiori oculo conſideretur, pietatis ſemita adeò laborioſa haud eſt, prout illam amor proprius erroneis coloribus & mutuatis ab orco umbris depingit. Nam ut ſanctus ſis, ſufficit, ut eodem horrore fugias peccatum, quo colubrum; ut eadem velocitate excutias tentationem, qua

ſcintillam; eadem attentione ores, qua ludis; eodem fervore ſacrifices, qua ſtudes. Plus non requiritur, quàm ut eadem diligentia ſupputes conſcientiæ labes, qua examinas œconomi rationes; ut eadem cura ſerves munditiam mentis, qua veſtis; ut pari ſolicitudine invigiles ſenſibus, qua opibus; ut denique non minori apud te loco ſit ſanctitas quàm ſanitas, ſpiritus quàm corpus, anima quàm eſca. Et hoc quis nimis arduum eſſe difficileque dicat? Ergóne una eademque res ſolùm tunc tibi impoſſibilis accidat, cùm illam exigit DEUS; quæ tamen tam facilis videtur, dum eam expetit mundus?

O Superi! ergóne magni adeò moliminis res ſit interdiu ſæpius meminiſſe illius, qui noſtrî nunquam obliviſcitur? Ergóne operoſum adeò negotium ſit toto corde amare illum, qui eſt infinitè bonus in ſe ob infinitudinem ſuarum perfectionum, & infinitè bonus erga nos ob collatorum nobis beneficiorum infinitatem? Ergóne

góne gigantei roboris operatio ſit, exuere ſeipſum, ut quis induat Chriſtum? abjicere glebam, ut quis accipiat gratiam? contemnere cœnum, ut obtineat cœlum? abdicare ſe affectione creata, ut poſſideat omnium Conditorem? Quis prudens animus ejusmodi ſenſa non horreat? Si ad obtinendam perfectionem cumulandæ forent opes, augendi honorum tituli, mundi voluptates aucupandæ, omniaque adverſa averruncanda; tum equidem excuſationi locus foret. At verò cùm ſanctitas ex parte in eo poſita ſit, ut divitiæ deſerantur, ſpernantur dignitates, deliciæ fugiantur, & adverſitates quærantur; cúmque ſciamus, etiam nos Chriſtum indutos cum Paulo omnia poſſe in eo, qui nos confortat; hoc profectò clarè evincit, nullum eſſe, quem à laboris arduitate mutuamus, obtentum.

Accedit, longè durius eſſe jugum mundi quàm Chriſti, multò gravius eſſe onus carnis quàm crucis; cùm tam aſpera non deſiderentur ab aſſe-

clis virtutis, quàm vanitatis. Nam pone tibi ob oculos hominem, qui melioris fortunæ faber sibimet esse cupiat, vah! quot injurias dissimulare, quot aculeos concoquere, quot repulsas ferre miserum oportet. Non est adulatio tam abjecta, non servitium tam vile, non labor tam spinosus, quem subire, ringente licèt mente, non cogatur.

O quot curæ huic parenti non sunt perferendæ, ut liberi habeant, quod rodant: quot angores huic clienti sunt tolerandi, ne perdat Mæcenatis favorem: quot tædia huic debitori sunt glutienda, ut corradat, quo creditoribus satisfaciat? Quodsi etiam Amalthea inverso copiæ cornu talem beet, quantopere ei non algendum est, & sudandum, ne iterum fugacia bona dilabantur? ne denuo, variante fortuna, honori contemptus, abundantiæ egestas tristi vicissitudine subrogetur? Ut proin etiam de talibus dicere liceat, quod Joannes de damnatis asserit: *non habent requiem die ac nocte.* (oo)

Et

(oo) Apoc. 14. v. 11.

Et tamen (quod mirandum) summo nihilominus conatu cœptis insistunt, nulla difficultate, quantumvis magna ea sit, à concepto proposito absterrentur. Licèt jaculis pluat, aut ningat frendentibus hastis, tamen impavidi pergunt; quò futilis rei appetitio cæcos impellit. Et nos, vah probrum! nos cujuslibet molestiæ umbra à sectanda perfectione mox retrahat, deterreatque? Ergóne (Hieronymi verba sunt) *ferventissimi in terrenis, non nisi in cœlestibus frigidissimi simus? Ergóne tanta cura mundani homines temporalibus inhient; licèt maxima eis superanda sint repagula? Et nos divinam Sapientiam, cœlestes divitias, immortales honores ob levem remoram pigra quadam dissimulatione negligamus?* (pp)

Utinam Fratres! (ingemiscit Bernardus) *utinam nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares homines pecuniæ temporalis! Utinam eadem constantiâ tenderemus ad virtutem, qua illi ad honorem; tunc equidem*

(pp) Epist. 8. ad Demetr.

dem beati essemus. At prô dolor! magna confusio est, & quidem magna valde, quòd ardentiùs illi & constantiùs perniciosa desiderant, quàm nos utilia. (qq)

Hinc jure minatur B. Laurentius Justinianus, nos olim *ab istis sæcularibus viris, qui modò, ut sua vota perficiant, læto animo corpus periculis & animum perditioni exponunt,* acriter accusatum iri. *Consurgent enim,* inquit, *consurgent tales nobiscum in judicio, & meritò condemnabunt nos, qui tam leviter à pietatis tramite deflectimus. Objicient nobis, quos ob vilem gustum & leve lucrum perpessi sunt, labores quotidianos, animi angustias, inanem spem & diuturna certamina. Cùm econtra nos sudoris umbra exterriti, & bonorum cœlestium incurii manus pigras sinui immiserimus.* (rr) Igitur ne id fiat, concludit S. Patriarcha, *evigilemus corde, & mentis aciem erigamus ad Dominum DEUM nostrum, poscentes humiliter clementiam ejus, quatenus dignetur dominan-*

(qq) Serm. 1. de alt. & bass. cordis. (rr) Lib. de obed. cap. 9.

minantem nobis propulſare inertiam, (ss) ut inſuper habita naturæ indole, vitæ conditione, & laboris arduitate, adeóque fugata perfectionis deſperatione, ſemper *eamus de virtute in virtutem*; donec tandem ad ejus culmen eluctati, *videamus DEUM deorum in Sion*, (tt) ejusdem intuitu æternùm beandi.

(ss) Ibidem. (tt) Pſal. 83. v. 8.

CAP. IV.

CAPUT IV.

DE AMORE DEI VIRTUTEM SOLIDAM EXIGENTIS A NOBIS, ET MERENTIS.

JUre in ſacris Paginis *fortis ùt mors dilectio* (a) prædicatur; ſicut enim oſſeus ille Nemeſis lictor omnia vincula, quibus terræ affixi hæremus, cæca falce unico ictu abrumpit, omniaque impedimenta, quæ magno illi ad æternitatem itineri obſtare poſſent, feroci niſu ſine mora perrumpit; ita pariter dilectio Numinis illas omnes catenas ac funes, queis Dalilæ imitatrix caro nos ſibi devincit, victrix disrumpit; omniaque obſtacula, quæ nos à comparanda ſanctitate remorantur, Samſone major aut eliminat, aut vincit. Ut proin efficacius potentius-

(a) Cant. 8. v. 6.

tentiusque incitamentum sectandæ perfectionis afferri in medium haud possit hoc ipso amore DEI, virtutem solidam à nobis I. exigentis, II. merentis. Nam geminæ huic veritati: *DEus vult, nos fieri sanctos: DEUS meretur, nos fieri sanctos*, magnetica quædam inest vis, ferrea etiam corda ad sanctimoniæ culmen attrahendi, siquidem socia charitas suam operam junxerit. Hæc enim certò referet victoriæ palmam, quam forsitan fides, timor & spes hactenus solùm dubiam reddidere.

§. I.

DEUS vult, nos fieri sanctos.

I. QUòd *hæc sit voluntas DEI sanctificatio* nostra; (b) quod Is velit, *ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo JESU*; (c) quòd Is jubeat, *ut in omni conversatione nostra sancti simus*, (d) gemini Ecclesiæ Principes Petrus & Paulus, allegatis paulò ante

I. *Id probant sacræ Paginæ testimonia.*

(b) Thess. 4. v. 3. (c) Colos. 1. v. 28. (d) 1. Petr. 1. v. 15.

ante verbis, adeò patenter & clarè testantur, ut in dubium id vocare absque temeritate nemini liceat.

Quin imò ipse, mortali carne vestitus, æterni Patris Filius, qui (utpote *splendor gloriæ ac figura substantiæ ejus*) (e) summus orbis Magister, Legislator ac Judex est; hic, inquam, *omni* illa, quæ *ei in cœlo & in terra data est, potestate* (f) suis discipulis ac per hos etiam nobis denunciat, mandatque: *estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est;* (g) *quoniam scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* (h) Quid significantiùs dici? quid apertiùs imperari? quid enixiùs commendari queat? cùm simul & ratio afferatur, ob quam debeamus ad perfectionem eniti, nempe *quoniam ego sanctus sum:* & simul sanctitudinis gradus indicetur, ad quem eluctari nos oporteat, nimirum *sicut Pater vester cœlestis perfectus est;* quantum scilicet virium humanarum infirmitas permiserit.

Nec

(e) Hebr. 1. v. 3. (f) Matth. 28. v. 18.
(g) Matth. 5. v. 48. (h) 1. Petr. 1. v. 15.

Nec mirum; nam auctore Apostolo ideo *DEUS & Pater Domini nostri JESU Christi . . . . vocavit nos vocatione sua sancta:* (i) ideo *elegit nos in Christo ante mundi constitutionem, ut* scilicet *essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* (l) Ita est, ô piæ mentes! ideo illud nullius indigum ac sibi soli sufficiens Numen præ tot barbaris, heterodoxis & mundanis *vocavit nos* ad fidem Christianam & Romanam: ideo ad statum sacerdotalem aut religiosum, ut *essemus sancti:* ideo elegit nos præ tot aliis, in suo nihilo aut peccato relictis: ideo à tot periculis miseriisque nos *liberavit, ut essemus immaculati in conspectu ejus*, & quidem *in charitate*, cujus praxis in virtutis solidæ exercitio consistit. Hoc compendium intentionis divinæ, hic finis vocationis & electionis nostræ, quò omnes tendere toto conatu obstringimur. In summa: sanctimonia hominis est voluntas Numinis. *DEUS vult nos fieri sanctos;* id abun-

(i) 2. Tim. 1. v. 9. (l) Ephes. 1. v. 4.

de probant allata ex ſacris Paginis oracula.

Et hoc non tantùm conſilium, ſed omnino præceptum eſſe; & quidem non tantùm Religioſis, ſed etiam mundi incolis impoſitum, apertè docet S. Thomas loco inferiùs referendo; (m) ubi aſſerit, etiam his æquè ac illis ad probitatem ſuo ſtatui congruam eluctandum eſſe, totumque inter ambos diſcrimen ſolùm in eo verſari, quòd votis ligati ad altiorem perfectionis apicem quàm mundani, atque ex fortiori titulo illuc eniti teneantur.

Et certè ſanctitatem, quæ cujusvis conditioni propria eſt, cuilibet Chriſti

(m) 2. 2. Q 186. a. 6 in C. & ad 2. ubi ſic loquitur: *ille, qui ſtatum religioſum aſſumit, non tenetur habere perfectam charitatem; ſed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat perfectam charitatem.* Et ad 2. *Omnes tam Religioſi quàm Sæculares tenentur æqualiter facere, quidquid boni poſſunt. Eſt tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur, ſcilicet ſi homo faciat, quod poteſt, ſecundùm quod requirit conditio ſui ſtatûs.*

ſti aſſeclæ non minùs ac lucem Soli naturalem eſſe, omnesque etiam mundi negotiis implicitos mortales ad illam ſectandam relatis ex Matthæo verbis adſtringi, pluribus locis S. Paulus non tam affirmat, quàm ſupponit; nam inprimis pleræque ejus ad primos Fideles, qui ſæculares erant, epiſtolæ ita inſcribuntur: *ſanctis, qui ſunt Eccleſiæ DEI, quæ eſt Corinthi:* (n) *ſanctis, qui ſunt Romæ:* (o) *ſanctis, qui ſunt Epheſi:* (p) *ſanctis, qui ſunt Philippis;* (q) per quod magnus ille Veritatis Præco innuit, ſancti & chriſtiani qualitatem à ſe invicem ſeparari haud poſſe; adeóque omnes, quicunque legi huic nomen dant, etiam ſectatores eſſe ſolidæ virtutis oportere.

Dein eodem teſte cuncti Chriſto initiati, nemine excepto, *templum DEI ſunt*, in quo *habitat ſpiritus DEI.* (r) Jam verò hoc *templum DEI ſanctum* eſſe debere, (s) idem ipſe aſſerit, in-

(n) 1. Cor. 2. v. 1. (o) Rom. 1. v. 6. (p) Eph. 1. v. 1. (q) Phil. 1. v. 1. (r) 1. Cor. 3. v. 16. (s) Ibid. v. 17.

culcatque. Ergo secundùm ejus doctrinam omnes etiam sæculares sanctitudinis sibi congruentis decet esse candidatos. Suntque viva hæc templa, quæ per baptismum fundata, & inchoata sunt, indies magis magisque attollenda, novisque sanctimoniæ incrementis quotidie perficienda per gratiam Illius, *in quo* (ùt asseverat Gentium Doctor) *omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; & coædificatur in habitaculum DEI in spiritu.* (t)

Præterea, eodem instruente Apostolo, omnes, etiam mundani, sunt *membra corporis Ecclesiæ, cujus caput est Christus.* (u) Ergo, si auctore Bernardo probrum est, sub spinoso capite esse membrum delicatum; quantò majus monstrum erit, sub capite sancto degeneri pravitate improbum esse membrum, & purioris vitæ incuriosum? Ex quibus patet, verissimum esse, quod suprà ex S. Thoma retulimus,

(t) Eph. 2. v. 21. & 22. (u) 1. Cor. 12. v. 20. & Colos. 1. v. 18.

mus, nempe non tantùm Religiosos sed etiam Sæculares obligari tendere ad perfectionem suæ conditioni respondentem; cùm etiam hi sint *membra Ecclesiæ, templum DEI, filii Sanctorum;* (x) adeóque illa Christi verba: *sancti estote*, etiam pro iis non solùm consilii sed præcepti rationem habere.

Nam etiam terrestribus curis addictos, innocuam decet ac frugi vitam ducere: etiam hos Evangelium vult iracundiam frænare, superbiam reprimere, carnem domare, inimicos diligere, pauperibus subvenire, ac officiis suis rite obeundis intentos esse. Etiam hos Paulus *piè, justè, ac sobriè in hoc sæculo vivere* jubet. (y) Ergo etiam istos DEUS æquè ac cœnobitas fieri sanctos cupit. Quamvis fatendum sit, his ultimis tum ob statûs excellentiam, tum ob subsidiorum abundantiam ad sublimiorem sanctitudinis gradum, & fortiori ex titulo enitendum esse.

(x) Eccli. 46. v. 15. (y) Tit. 2. v. 12.

Proin *audite cœli! audiat terra verba oris* divini, (z) ejusque imperium subdita mente revereatur. Hæc dicit ille *Rex potens, & metuendus nimis*, (aa) *sub quo curvantur, qui portant orbem:* (bb) *sancti estote:* (cc) *eritis mihi sancti:* (dd) *perfecti sitis & sine macula.* (ee) His ergo rebelli dissensu refragari quis ausit? præcipuè cùm id jubeat ille, cui *nullus similis in legislatoribus est:* (ff) cujus *omnia mandata æquitas sunt:* (gg) qui impossibilia non jubet; imò qui etiam dat, quod jubet. Ita est, ô mortales! ut simus *sancti*, *altissimus* ille *creator omnipotens* imperat, (hh) cujus *manus fecerunt nos, & plasmaverunt nos;* qui *pelle & carnibus vestiit nos, ossibus & nervis compegit nos:* (ii) qui proin, cùm simus *opera manuum ejus*, (ll) exigere à nobis, quæcunque voluerit, potest. Ut simus *perfecti*, *sapientissimus*

(z) Deut. 32. v. 1. (aa) Eccli. 1. v. 8. (bb) Job. 9. v. 13. (cc) Levit. 19. v. 2. (dd) Levit. 20. v. 7. (ee) Deut. 18. v. 13. (ff) Job. 36. v. 13. (gg) Psal. 118. v. 172. (hh) Eccli. 1. v. 8. (ii) Job. 10. v. 8. & seq. (ll) Psal. 18. v. 1.

mus ille *princeps* præcipit, (mm) *à cujus oculis non est quicquam absconditum:* (nn) qui proin *cognoscit figmentum nostrum*, (oo) cui perspectæ sunt infirmitates humanæ, quem naturæ indoles, vitæ conditio, difficultatum arduitas minimè latent; & qui tamen, his insuper habitis, nos eluctari ad sanctitatem mandat. Denique ut simus *sine macula*, vult ille *sedens super thronum ac dominans DEUS*, (pp) *qui fortis robore est*, (qq) *& in cujus manu anima omnis viventis est;* (rr) quam proin punire, nî obediat, quovis momento potest. Et nihilominus reperire sit aliquem, qui vanis obtentibus sibimet illudens, æquissimis hisce jussis gerere morem renuat? qui solidam pietatem viribus suis majorem & mortali fragilitate superiorem ducat? qui præcepti asperitate illius transgressionem excuset? & amplius præcipi dicat; quàm nostra imbecillitas ferat?

(mm) 2. Reg. 23. v. 8. (nn) Eccli. 39. v. 24. (oo) Psal. 102. v. 14. (pp) Eccli. 1. v. 8. (qq) Job. 9. v. 4. (rr) Job. 12. v. 10.

O quantopere consignata sacris Literis exempla nostram hanc repugnantiam confundunt, ac inanes hos prætextus refutant! quantopere nostram pusillanimem inertiam descripta ibidem facinora in ruborem dant! Agite, non nisi transeuntem in illa obtutum defigamus. *Ait DEUS ad Abraham: tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, ... atque offer eum in holocaustum in uno montium, quem monstravero tibi.* Et sine mora Sanctus Patriarcha *de nocte consurgens, & extendens manum, arripuit gladium, ut immolaret filium suum;* (ss) licèt providerit, cum Isaaci capite simul omnes familiæ spes eodem ictu succisum iri. Vix Abimelech suis dixerat: *quod me videtis facere, citò facite;* mox omnes, *certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem;* (tt) licèt hostilem turrim succensuri præsens vitæ discrimen adierint. Vix desideraverat David potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem; & mox *irruperunt*

(ss) Gen. 22. v. 2. & 10. (tt) Jud. 9. v. 48. & 49.

perunt tres fortes castra Philistinorum, haustamque *de cisterna aquam attulerunt ad David;* (uu) licèt se in evidens *animarum periculum* præcipites dederint. Et hæc patrarunt isti sine ulla dilatione, in re summè ardua, ad unicum imperantis nutum; cùm contrà nos Christiani Supremo Numini, longè leviora & quidem sæpius exigenti, auscultare abnuamus.

Jubet Is, ut eidem Abrahami exemplo hanc vel illam affectionem immolemus, quæ perfectioni & gratiæ præcipuum obicem ponit, & ferre repulsam cogitur. Illa ipsa Abimelech verba etiam Christus nobis inclamat: *quod me videtis facere, citò facite.* (xx) nam *exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis;* (yy) & surdis fabulam canit. Etiam Spiritus Sanctus puriori quàm David voto sitit perfectionem nostram; utque eandem avidè sectemur, continuis instinctibus nos impellit, urget-

(uu) 2. Reg. 23. v. 15. & seq. (xx) Exod. 25. v. 40. (yy) Joan. 13. v. 15.

que, & nihilominus tanto jam tempore omnem operam ludit. Vah! quàm probrosa hæc virtutis incuria est! quàm pertinax divini jussûs neglectio!

O Superi! ergóne divina tantùm mandata, quæ tamen nostrum solummodo bonum intendunt, temerè despectui habeantur? cùm ex adverso humana, licèt magis ardua sint, & non nisi jubentis commoda spectent, tam solicitè attenduntur. Jubet Turcarum Imperator; & mox cohortes ex tribus orbis partibus confluunt, in hostem involant, mœnia scandunt, suggestus superant, ac turres evertunt. Imperat maritimus Rex; & mox apparantur classes, explicantur vela, sulcantur maria, ridentur procellæ, spernuntur naufragia, & inhospita litora subeuntur.

Quodsi illis oggeras invicta, quæ obstant, repagula: si depingas immanes, quæ ingruent, ærumnæ: si opponas innumera, quæ occurrent, pericula:

ricula: ſi denique eis explices incertitudinem mercedis, quàm ſperant; vanitatem honoris, quem ambiunt; tenuitatem lucri, quod prenſant: diſcrimen animæ, cui ſe exponunt; adverſùs hæc omnia Principis imperium eis impervium eſt ſcutum. *Jubet rex: imperator vult*, victrices illis teſſeræ ſunt, queis omnia vincunt, calcant, perrumpunt.

Contrà verò petit DEUS.... DEUS.... ô Cœlites! quantum nomen! petit, inquam, DEUS, ut huic creatæ rei nuncium mittamus; ut iſti appetitui repugnemus, ut per hanc noſtri victoriam ſanctitati initium faciamus; & tamen (vah! probrum) lenti pigramur, ſurdos agimus, moras moris innectimus, ac denique omnino, re infecta, omne negotium abrumpimus. O angeli! quid hìc ampliùs miramini? an proterviam hominis ſuo Conditori ita inſultantis? num verò patientiam Numinis iſta tam benignè ferentis? Ah! pudeat nos, *quòd mundani paratiores*

ſint

ſint ad perditionem, quàm nos ad vitam; (zz) quòd illi majori cura ſerviant mundo pro pecunia, quàm nos cœlo pro gratia.

Et profectò auctoritas DEI imperantis non eſt minor quàm loquentis. Si ergo propter hanc ejus auctoritatem credimus loquenti, cur non etiam obedimus imperanti. Ergo cùm nos fieri ſanctos velit, utì probant allata ex ſacris Paginis teſtimonia; cur tales eſſe non laboramus? Nempe quia non amamus; ſi enim ſummum illud ac amabiliſſimum Ens ardenter diligeremus, mox ruptis omnibus obſtaculis ad ſolidam probitatem conſtanter tenderemus. Utì ex infrà dicendis patebit.

II. *Utì & conceſſa hunc in finem ſubſidia.*

II. Præterea de hac Supremæ Majeſtatis voluntate, qua nos ad ſanctimoniam incumbere cupit, nos non minùs convincunt plena manu conceſſa hanc in rem ſubſidia. Cùm enim divina Bonitas tam liberali abundantia

(zz) Thom. Kemp. l. 3. c. 3.

dantia nobis ſuppeditet perfectionis obtinendæ remedia, evidens indicium eſt, ejus Providentiam eandem quoque tanquam terminum intendere, utpote ad quem adipiſcendum ejusmodi adjumenta ſuapte natura ordinantur. Sicut enim ille, qui vult finem, etiam de auxiliis eum conſequendi proſpicere cogitur; ita etiam è contrario qui potentia ſanctitudinis comparandæ ſubminicula ſubminiſtrat, eandem tanquam ſcopum reſpicere, & à nobis exigere intelligitur.

Porro hæc ſubſidia & numero plurima eſſe & efficacitate præſtantiſſima, ex dictis tota parte ſecunda abunde conſtat. Præterea tot illuſtrationes, inſtinctus, Sacramentorum perceptiones, piarum rerum meditationes, conſcientiæ examina, electionem ad ſacerdotium, aut ſtatum religioſum aliaque his ſimilia abundantiſſima eſſe & efficaciſſima adipiſcendæ ſanctitatis remedia, in aprico eſt. Unde pariter colligitur, quantopere DEUS perfectionem noſtram ambiat; cùm eam

nobis

nobis tanto adjumentorum apparatu tam facilem reddat.

Ne verò in his fusiùs explicandis prolixior excurram, non nisi unicum ex illis in medium afferam, tale tamen, ex cujus solius concessione locupletissimè patet, quanto desiderio nostram sanctitudinem Sacrosancta Trinitas concupiscat. Est autem id unigena æterni Patris Filius, quem Ille ideo de cœlis in terram miserat, *ut nobis esset exemplum virtutis.* (a)

Non enim Is carnem eo solùm fine assumpserat, ut esset Servator, sed etiam ut esset exemplar. Et hinc omnes, quas patravit, actiones eò direxit, ut iis non tantummodo nobis promereretur salutem, sed etiam doceret pietatem. Jusserat quidem in veteri lege Supremum Numen, ut ejus sanctimoniam æmularemur; sed quia excellens ille, ac omnis materiæ expers Spiritus, in gloriæ suæ statu permanens, nobis vitæ idea esse haud pote-

(a) Ruth. 4. v. 11.

poterat, ideo ait Auguſtinus, *DEUS factus eſt homo, ut exhiberetur homini, quem ſequeretur homo.* (b)

Propterea etiam Chriſtus, ut datum ſe orbi exemplar eſſe probaret, vix mundum hunc fuerat ingreſſus, cùm mox *cœpit facere, & docere;* (c) *ut qui præceptis non accendimur*, interprete Gregorio *ſaltem exemplis provocaremur.* (d) Probè enim noverat noſtri profectûs zelotes JESUS, (ùt advertit S. Leo) *validiora eſſe exempla quàm verba, & pleniùs opere doceri quàm voce.* (e) Quin imò cùm non niſi ultimis vitæ annis cœpiſſet *docere*, *facere* jam incepit primo ſtatim, quo has auras uſurpaverat, momento. Ut proin meritò Divinus Pater, ex alto intonans, nobis inclamet: en! *hic eſt filius meus dilectus;* (f) *dedi eum vobis in exemplum*, (g) *ut quemadmodum ipſe fecit, ita & vos faciatis.* (h) Ejus proin

(b) Serm. 13. de Tempore. (c) Act 1. v. 1. (d) Greg. M. in Job. cap. 10. (e) Serm. de jejunio. (f) Matth. 3. v. 17. (g) Num. 5. v. 27. (h) Joan. 13. v. 15.

proin vestigia premite; est enim *via*: ipsum audite; est enim *veritas*: ipsi adhærete; est enim *vita*. (i)

Jam verò quàm efficax perfectionis subsidium hoc Christi exemplum sit, è contrario elucescit. Si enim Servator noster regio diademate redimitus, gemmeo insidens throno, aulico stipatus famulatu, opibus & deliciis affluens, nos ad sectandam contemptionem, voluntariam pauperiem, ac appetituum moderationem hortaretur; si satur Ipse, dives, honoratus & felix beatos pronunciaret, qui pauperes spiritu esuriunt, lugent, & persecutionem patiuntur; si Ipse ad illius, in quo virtus residet, montis pedem commodè residens, ducentem ad ejus apicem, viam tantummodo nobis digito designaret, voce delinearet, illiusque asperitatem solo verborum lenimine complanaret; tunc fortassis nostra illa sanctitatis nausea leniori conniventia dignior foret.

At

(i) Joan. 14. v. 6.

At verò cùm ipſe omnium egens & abjectus, miſer & afflictus tolerantiæ facem præferat; cùm ipſus in fronte agminis omnium ducem agat, nilque nos facere aut pati velit, niſi quod ab eo fieri, aut tolerari ipſi viderimus, omnis omnino obtentus evaneſcit, exemplique vis cum ſummo pudore noſtro immenſùm augetur. Nam eundem cruce onuſtum præeuntem cernere; & tamen ſequi nolle: videre illum eò indigentiæ deveniſſe, ut *ne* quidem *habeat, ubi caput reclinet;* (l) & tamen divitiis inhiare: intueri, quod is *exinaniendo ſemetipſum* (m) *vermis ſit & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis;* (n) & tamen honores ambire: contemplari eundem trabi affixum, flagellis lacerum, ſpinis ſaucium, *virum dolorum* eſſe, *ſcientem infirmitatem;* (o) & tamen cuticulam fovere.

Imò credere, hunc JESUM eſſe DEUM, Regem ac Dominum no-

(l) Luc. 9. v. 58. (m) Phil. 2. v. 7. (n) Pſal. 21. v. 7. (o) Iſa. 53. v. 3.

ſtrum, à quo omnis noſtra ſalus, ac felicitas dependet; cumque hæc omnia amore noſtrî ideo agere, & perpeti, ut nos ad ſui ſequelam animet; ut nobis contemptus, egentiæ, & aſperioris vitæ deſiderium inſtillet; contrà verò deliciarum, honorum & divitiarum vilipenſionem indat, ac ingeneret; hæc omnia, inquam, credere, memori cultu etiam adorare; & tamen mammonæ, mundo, & carni addictum vivere: quæ JESUS odit, amare: quæ ille amat, odiſſe, ac de eo proximiùs imitando nec cogitationem admittere; idque facere Chriſtianum, qui teſte Tertulliano æmulis moribus deberet eſſe alter Chriſtus. Hæc certè tam probroſa, infidelis, ingrata, & diſcordans inter ſe fidei & vitæ diſſenſio eſt, ut omnem excuſationi locum penitus adimat. Sola hæc antitheſis noſtram ignaviam ita confundit, ut ſi vel guttula adhuc generoſi ſanguinis in venis fluat, ad hujus prototypi imitationem inflammari nos oporteat. Exinde hujus ſubſidii efficacitatem metiri licet.

Quid

Quid enim? ergóne minus in nobis efficere possit exemplum Salvatoris, quàm in milite Ducis? Finge amatum militi Ducem in hostiles muros primum eluctari, mox omnis exercitus præeuntem pleno impetu sequetur. Es solos Christianos insequi Christum pigeat? Christum, inquam, *cui data est, omnis potestas in cœlo & in terra?* (p) Christum, *in cujus nomine omne genu flectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum?* (q) Qui pro *momentaneo & levi tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus* promittit? (r) Quiqúe tibi, ô Christiane! modò velis, etiam vires dabit, queis possis *omnia tela nequissimi ignea extinguere.* (s) Quis nisi ignavus & vecors sub tanto Rege stipendia mereri, ejus vestigia premere, virtutem sectari, *& prœliari prœlia Domini* recuset? (t) præcipuè cùm Ille, prævenientis gratiæ balsamo labores leniat, dolores mitiget, & faciat, *ut eant prava in directa & aspera in vias planas.* (u)

(p) Matth. 28. v. 18. (q) Phil. 2. v. 10. (r) 2. Cor. 4. v. 17. (s) Eph. 6. v. 16. (t) 1. Reg. 18. v. 17. (u) Luc. 3. v. 5.

Profectò nulla digni venia ſunt, qui ad tantum hoc tamque alliciens exemplum immoti perſtant; qui hæc audiunt, nec tamen *eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam.* (x) Enimvero etiam de talibus cœleſtis Magiſter dicere poterit, quod olim de Judæis affirmaverat: *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis;* ſi non Ipſus Ego ſanctitudinis callem eis præiviſſem, *peccatum non haberent;* nunc autem cùm vitæ meæ ac mortis hiſtoriam ſacris expreſſam Literis toties legerint; cùm nudum me in crucis effigie, doloribus & opprobriis oppletum quotidie viderint, *excuſationem non habent de peccato ſuo.* (y) Ita eſt; cùm miſeriarum & contemptuum aciem primus ipſe fregerit; cùm ex torrente afflictionum primus ipſe biberit; verbô: poſtquam ille cruentum *torcular calcavit ſolus,* (z) *excuſationem non habent,* quicunque eum imitari detrectant.

Age ergo ô ingrate! quisquis ſanctimoniæ incurioſus vivis, & intuere pendu-

(x) Matth. 5. v. 6. (y) Joan. 15. v. 22. (z) Iſa. 63. v. 3.

pendulum tuum è trabe DEUM. Audi eundem moritura voce exclamantem: *consummatum est*; quasi diceret: *ô Pater æterne! opus consummavi, quod dedisti mihi, ut facerem.* (aa) perfeci tuum circa mortales consilium. En! ut iis solidæ pietatis amorem, ut sanctitatis desiderium persuaderem, nec sanguini nec viribus peperci. ne anima hæc viam teporis decurreret, ne dextram ad Ægypti cepas extenderet, permisi, ut manus mihi pedesque clavis terebrarentur; ut ea horreret sub capite spinoso membrum esse delicatum, huic dumeto divinum verticem indui; ne spreto ea spiritu carnem foveret, totum corpus flagris discerpendum tradidi. Et tamen (*obstupescite cœli super hoc!*) (bb) & tamen, *quæ utilitas in sanguine meo?* (cc)

Ah! frustra laboravi! frustra pauperrimus in stabulo natus, perpetuos inter contemptus delitescens vixi, summisque cruciatibus immortuus exspi-

(aa) Joan. 17. v. 4. (bb) Jerem. 2. v. 12. (cc) Psal. 29. v. 10.

ravi! hæc eadem anima, his insuper habitis, opum hujus mundi, honorum & deliciarum æquè avida fuit, tristemque suis cupiditatibus servitutem servire perrexit. Nil cruoris in venis, nil anhelitûs in pulmonibus, nil virium in artubus, nil vitæ in corde mihi remansit, quod non prodigè effuderim, expenderimque, solùm ut ipsa perfectioni obtinendæ se totam impenderet; & tamen hanc unicè ea & semper in postremis habuit, tot inter adjumenta, torporis cœno immersa, usque immobilis hæsit.

Edic jam, ô infelix! hæc Christo olim exprobraturo quid repones? quis misero tibi tunc sensus erit? cùm cernes efficacissimum acquirendæ sanctitudinis adminiculum suo in te effectu caruisse? Tanta Christum egisse, tam immania tolerasse, ut sanctum te efficeret; & tamen operam lusisse? non obstante divino hoc Archetypo, tamque potenti ejusdem exemplo, tamen te vanitatis ectypon permansisse? cùm experieris, aspectum Salvatoris è cruce pendu-

penduli, qui ſolatii ſub mortem ſcaturigo eſſe debuiſſet, moribundo tibi non niſi terroris ac pudoris argumentum fore; teque loco *gaudii*, quod *haurire* aliàs ex plagis *Salvatoris* tanquam *ex fontibus potuiſſes*, (dd) non niſi timorem te & angorem perceptum; ad hæc, inquam, quæ tibi tunc mens erit?

Heu! quæ alia erit? quàm quæ olim Regii Vatis fuerat; cùm dolens ingemuit: *tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.* (ee) Nam cœlum vult nos fieri ſanctos, id DEUS declarat præcepto: id Chriſtus docet exemplo: id teſtantur allata ex ſacris Paginis teſtimonia, nec non collata hunc in finem tam liberaliter ſubſidia, præcipuè JESUS nobis exemplar datus; & tamen tantum abeſt, ut eo, quo par eſt, conatu comparandæ perfectioni ſtudeamus, ut potiùs eam vix non omnis vitæ curriculo neglectui habeamus.

(dd) Iſa. 12. v. 3. (ee) Pſal. 43. v. 16.

Non poterat Omnipotens Pater nobis concedere efficacius virtutis præsidium quàm suum Unigenam Filium: concessit, id suadente sua charitate infinita; submissum cœlis divinum hoc prototypon nobis imitandum proposuit; ita ut jure dicere possit: *quid est, quod potui ultra facere, & non feci?* (ff) quid melius dare, quod non dedi? Et tamen *quæ utilitas in utrisque?* (gg) Ut hunc imitaremur, ejusque exemplo animati, sanctitatis semitam iniremus hucusque à nobis obtinere nec interposito suo tam solemni imperio potuit.

Quæ, obsecro, causa hujus mali, quæ tanti languoris origo est? Nempe nec DEUM nec Christum eo, quo decet, ardore amamus; & hinc nec illum imperantem audimus, nec istum insequi præeuntem curamus. Si utrumque debito affectu complecteremur, amor adderet alas ad sequendum: amor sufficeret vires ad obediendum; redderetque leve, quidquid in mandato

(ff) Isa. 5. v. 4. (gg) Eccli. 41. v. 17.

dato durum, quidquid in imitatione aſperum occurrit. Verbô: amor DEI pietatem ſolidam à nobis exigentis, hujus ſectandæ efficax incitamentum foret. Nam teſte Thoma à Kempis *amor leve facit omne oneroſum, & fert æqualiter omne inæquale: onus ſine onere portat, ac omne amarum dulce ac ſapidum efficit: ad magna operanda impellit, & ad deſideranda ſemper perfectiora excitat, labores non reputat, plus affectat, quàm valet: de impoſſibilitate non cauſatur, cuncta ſe poſſe, & licere arbitratur.* (hh)

O quis ergo mihi dabit pennas, queis evolem ad flammantes illos Cœlitum thronos? quis incendet gelidum hoc pectus illis beatarum mentium ardoribus? O Seraphini! motu alarum veſtrarum vel ſcintillulam cœleſtis illius flammæ in me ſuſcitate, quæ Sanctis perfectionem adeò ſuavem reddidit, facilemque. Verùm huic affectioni inflammandæ ſequens paragraphus ampliora fomenta ſuppeditabit.

(hh) De imit. Chriſti. l. 3. c. 5.

§. II.

DEUS meretur, nos fieri sanctos.

I. *Quia etiam DEUS se integrè nobis donat.*

I. SOlidè pium sanctumque esse, idem est, ac totum DEI esse. Id autem ut simus, Supremum Numen à nobis mereri, tres præcipuè rationes evincunt, quæ totidem pariter incitamenta divini amoris erunt, nempe 1. quia etiam DEUS se integrè nobis donat. 2. quia etiam Christus se totum nobis dedit. 3. quia etiam totum dando parum damus. Unde concludemus, etiam nos vicissim, exigente id charitate, sanctos esse seu totos DEI oportere; adeóque amorem Numinis sanctitatem nostram promerentis efficax esse ejusdem procurandæ invitamentum.

1. Primò igitur debemus nos penitus per virtutem solidam divinæ Majestati sine ulla exceptione jugi sacrificio consecrare; quia etiam Illa non solùm omnia *sua*, sed etiam *se* nobis,

nobis, & quidem *integrè* ſeu modo valde ſublimi donat. Ah! advolet, quæſo, etiam nunc Cherubinorum aliquis, qui, ſublato ex illo altari aureo carbone, meam quoque linguam, utì olim Iſaiæ, calculo mundet ignito, (a) ut *magnalia DEI* (b) dignè eloqui valeam. Verè enim *fecit nobis magna, qui potens eſt;* (c) dum æterna ac immutabili lege nobis dedit res corporeas ad noſtrum uſum, angelos ad noſtram cuſtodiam, gratiam ad noſtrum meritum, cœlum in noſtrum præmium. Nam terra, Angeli, gratia, cœlum res inter creatas ſunt quatuor præcipua bonorum genera, quorum creatione ſummus Conditor ſuam omnipotentem munificentiam orbi palam fecit, ſuntque ea illis quatuor fluminibus ſimilia, *quæ egrediebantur ex fonte paradiſi, irrigantes univerſam ſuperficiem terræ;* (d) cùm etiam ea ex creatrice ſinu infinitæ bonitatis proflua, tandem omnia in hominem velut

(a) Iſa. 6. v. 6. (b) Exod. 14. v. 13. (c) Luc. 1. v. 49. (d) Gen. 2. v. 7. & 10.

lut ad centrum divinæ beneficentiæ divite alveo confluant.

Inprimis ergo potentissimus ille mundi fabricator DEUS, *qui fundavit terram super stabilitatem suam, extendens cœlum sicut pellem*, (e) omnem hujus universi molem solis mortalium usibus non minùs providè aptavit, quàm prodigè concessit. Nobis enim sol lucet, nitent stellæ, suosque per orbes variè gyrant planetæ. Nobis vineæ, agri & prata uvis, frugibus & plantis florent. Nobis maria unionibus, montes auro, antra metallis, piscibus fluvii, campi pecoribus, aura avibus affluunt, & abundant. Ille, *in cujus manu sunt virtutes elementorum*, (f) per ignem nos calefacit, per aquam humectat, per aërem refrigerat, per cibos nutrit, & sustentat; ita ut jure regius Vates dicat: *terram dedit filiis hominum* (g) habitandam, possidendam, fruendam; *constituendo eos super opera manuum suarum, & subjiciendo*

(e) Psal. 103. v. 3. & 5. (f) Sap. 7. v. 16. & 17. (g) Psal. 113. v. 16.

jiciendo eis oves & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris. (h) Quis, quæso, tam magnificam liberalitatem pro merito deprædicet? O Domine! *quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis*, (i) quia tot bonis ingratum cumulas?

Præterea magnus ille *sedens in solio Dominus, cui omnis exercitus cœli à dextris & à sinistris assistit*, (l) nobis dedit Angelos ad custodiam. *Omnes enim*, beato testante Paulo, *administratorii spiritus in ministerium missi sunt propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* (m) Ita est, ô mortales! cœlestes illi Principes nobis dati sunt pædagogi, ut viam veritatis nos doceant: duces, ut per eam nos deducant: defensores, ut in ea ab hostibus nos tueantur. O anima! ille *Rex regum*, (n) *qui sedet super Cherubim*, (o) *angelis*

(h) Psal. 8. v. 7. & 8. (i) Psal. 8. v. 5.
(l) 2. Paral. 18. v. 18. (m) Hebr. 1. v. 14.
(n) Apoc. 19. v. 16. (o) Psal. 98. v. 1.

gelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. (p)

O mira dignatio! (stupore defixus hìc exclamat Bernardus) *ô verè magna dilectio charitatis! studiosè enim consideremus, Fratres, quis? quibus? de quo? & quid mandârit? Summa ergo Majestas mandavit angelis, & angelis suis mandavit; illis utique tam sublimibus, tam beatis, tam familiariter sibi adhærentibus, & verè domesticis mandavit de te;* de te, inquam, ô homo! mandavit, *qui putredo es & vermis, pulvis & cinis; & quidem mandavit de te, ut custodiant te;* ut dubium dirigant, tepidum excitent, lapsum erigant, languentem sanent; idque agant non solùm subinde aut alicubi, sed semper & ubique *in omnibus viis tuis, in quovis diversorio, in quovis angulo.* O filii Adæ! vestram hìc fidem appello; quid post DEUM excellentius dari, quid utilius potuisset? Sub tantis ergo custodibus quid timeamus? præcipuè cùm *fideles sint, prudentes ac poten-*

(p) Psal. 90. v. 11.

potentes sint, qui possunt, sciunt, & volunt nos tutari. (q) O! Superi! pro tam nobili custodia quis dignas Numini grates referat? Ergo saltem de *manu Angeli* custodis *coram DEO ascendat fumus incensi*, (r) seu gratiarum actionis in sacrificium laudis pro tam insigni beneficio; cùm pares reddere hominum infirmitas nequeat.

Insuper ô! quanta liberalitate profundit in nos suas uberes gratias æternus luminum Pater; dum cæcos illuminat, torpentes excitat; nunc minis terret, nunc præmiis allicit; atque centies repulsus, centies & millies urget, & instat. & quamvìs illa auxilia summi valoris sint, utpote Divinitatis radii ac pretium sanguinis Christi; tamen cœlestes has gemmas Divinus Trapezita non rarò etiam ante porcos plena manu abjicere non dedignatur. Fugientem à se oviculam per invia & devia perdiu & pernox insequitur Pastor bonus; & licèt rebellis homo ami-

(q) Bern. Serm. 12. super Psal. qui habitat.
(r) Apoc. 8. v. 4.

amicam vocem ſurda aure prætereat; tamen vocare, blandiri, & allectare non ceſſat. licèt ſauciatus medicam reſpuat manum; tamen vulneribus vinum & oleum affundere pergit melior Samaritanus. Imò, aſſeverante id Apoſtolorum Principe Petro, maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, nos per immanentem gratiam *divinæ conſortes naturæ* efficiendo; (s) ita ut meritò, rei novitate attonitus, ſcribat Joannes: *videte, qualem charitatem nobis dedit Pater, ut filii DEI nominemur, & ſimus.* (t) Porro hujus excellentiæ dignitatem, & quod inde conſequitur, collati nobis doni excelſitatem comprehendere qui cupit, priùs immenſam Largitoris infinitatem metiatur, neceſſe eſt.

Denique cœlum nobis . . . . ah! cœlum . . . . felices illas ſempiternæ beatitudinis ſedes benevola ſorte deſtinat, fideliſſimè bonum remunerans Numen; ubi ipſum nobis erit præmium, corona, gaudium, *& merces magna*

(s) 2. Petr. 1. v. 4. (t) 1. Joan. 3. v. 1.

magna nimis ; (u) ubi nobis immerita benignitate & propitio ſidere communicabit ſuam pulchritudinem; nam *ſimiles ei erimus:* (x) ſuam felicitatem; nam *edemus, & bibemus cum eo ſuper eandem menſam:* (y) ſuam quoque gloriam; nam *dabit nobis ſedere ſecum in eodem throno.* (z) hujus autem beatitudinis ſublimitatem, ſecuramque æternitatem ô quæ vox ſatìs deprædicet! cùm teſte Apoſtolo *nec oculus viderit, nec auris audiverit, nec in cor hominis aſcenderit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt eum.* (aa)

O igitur *quàm bonus Iſraël DEUS his, qui recto ſunt corde ;* (bb) cùm præcipua quatuor, quæ creavit, bonorum genera, & cum his omnia ſua nobis tam prodigè conceſſerit, nempe terram ad noſtrum uſum, angelos ad noſtram cuſtodiam, gratiam ad noſtrum meritum, cœlum in noſtrum præmium. Proin *laudemus DEUM,*

(u) Gen. 15. v. 1. (x) 1. Joan. 3. v. 2.
(y) Luc. 22. v. 30. (z) Apoc. 3. v. 21.
(aa) 1. Cor. 2. v. 9. (bb) Pſal. 72. v. 1.

quoniam bonus; psallemus nomini ejus, (cc) *quoniam ùt scuto bonæ voluntatis suæ coronavit nos*, (dd) multiplici beneficiorum corona nos cingendo. Itaque ô Domine! quia omnia tua mea sunt, vicissim quoque omnia mea tua sint. Tua sit universa libertas mea, tua sit memoria, intellectus, & voluntas mea; tui sint omnes sensus mei. Male-dicta sit illa in venis gutta, quæ tibi non bullit, & fluit. Anathema sit, quidquid meum tuum non est.

2. Verùm non solùm omnia sua, sed etiam *se totum* nobis benignum Numen insigni munificentia largitur; dum suas perfectiones, quæ vi identitatis (ùt Theologi loquuntur) unam eandemque cum eo rem constituunt, modo tam mirabili nobis impendit. Et primò quidem nobis impendit suum Esse, seu *essentiam*, (ùt ajunt) qua in corpore & anima nostra, velut in dicato sibi templo, semper & intimè præsens adest secundùm illud Pauli: *vos estis templum DEI vivi; sicut*

(cc) Psal. 134. v. 3. (dd) Psal. 5. v. 13.

ſicut dicit DEUS: quoniam inhabitabo in illis; (ee) *in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus;* (ff) dein ſuam *Potentiam*, qua nos non ſolùm creat, conſervatque, ſed inſuper continuò ad omnes noſtras actiones pro noſtro libitu à nobis determinatus concurrit; nam *DEUS operatur omnia in omnibus*, (gg) ita quidem *ut ſine ipſo nihil poſſimus facere;* (hh) nec non *Providentiam*, qua ſingulari affectu arcet mala, & providet bona, *faciens* vel *cum ipſa* etiam *tentatione proventum;* (ii) item *Juſtitiam, qua angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, exemplum eorum, qui impiè acturi ſunt, ponens;* (ll) denique *Miſericordiam*, qua toties & tamdiu *diſſimulat peccata hominum propter pœnitentiam*, (mm) ita ut meritò à Propheta extollatur *miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus.* (nn)

(ee) 2. Cor. 6. v. 16. (ff) Act 17. v. 28.
(gg) 1. Cor. 12. v. 6. (hh) Joan. 15. v. 5.
(ii) 1. Cor. 10. v. 13. (ll) 2. Petr. 2. v. 4. & 6.
(mm) Sap. 11. v. 24. (nn) Pſal. 144. v. 9.

Quis ergo neget illam Mentem Divinam se totam nobis donare; dum sua attributa tam benignè nobis communicat, eaque nostrum in commodum tam assiduè exercet? præcipuè illam *Charitatem* immensam, qua benevolo prorsus ac nostrum omne meritum præveniente affectu, nos indignissimos, non obstantibus provisis tot peccatis, præ tot aliis multò melioribus & tot gratiis fideliùs responsuris discrevit, ad perfectionem statui congruam vocavit, & ad respondentem illi gloriam elegit: qua salutares amaritudines insperſit illicitis cupiditatibus nostris, varias adversitates immisit, lapsuum illicia subtraxit, rerumque creatarum perfidiam permisit, ut nobis earum nauseam instillaret, nosque fugientes à se *in funiculis Adam* (oo) ad se retraheret.

Præsertim verò *in hoc apparuit charitas DEI;* (pp) dum *sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret,* (qq)

(oo) Osee 11. v. 4. (pp) 1. Joan. 4. v. 9.

(qq) *qui nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem;* (rr) suumque Sanctum nobis Spiritum insuper mitteret, qui *nos doceret omnem veritatem.* (ss) Quo facto illud Ens supremum ob naturæ divinæ, quæ intercedit, unitatem unà se totum pariter ac omnimodè nobis tradidit, impendit, ac consecravit. Postquam enim *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo* (concludit Paulus) *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (tt) Et cùm Spiritum Sanctum septemplicis gratiæ auctorem nobis dedit, quomodo non etiam cum illo septem ejus dona concessit? O immensam igitur benignitatem, & misericordem beneficentiam! quam omnes angelorum chori, *facto in cælis silentio,* (uu) attoniti stupent, & admirantur! Hæc certè abunde probant, Illum sua omnia, & se totum nobis largitum, adeoque dignissimum esse, cui nos

(qq) Joan. 3. v. 16. (rr) Tit. 2. v. 14.
(ss) Joan. 16. v. 13. (tt) Rom. 8. v. 32.
(uu) Apoc. 8. v. 1.

totos pariter per virtutem ſolidam dedicemus.

3. Præcipuè ſi modus inſuper attendatur, quo ſua & ſe nobis *integrè* dedit, quem tres potiſſimùm conditiones nobiliorem reddunt. Prima eſt, quod beneficus ille erga nos affectus ſit *æternus* ſecundùm illud Jeremiæ effatum: *in charitate perpetua dilexi te;* (xx) quaſi diceret: non priùs me dilexi, nec diutius amaturus ſum, quàm te benevola illa affectione complexus ſim, qua omnia mea meque totum in te conferre, quin imò profundere tota retro æternitate decrevi.

Altera eſt, quod hæc beneficentia ſit prorſus *gratuita:* nam, ùt ait S. Joannes: *in hoc apparuit charitas DEI in nobis, non quaſi nos dilexerimus DEUM, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos;* (yy) & quidem *cùm inimici eſſemus:* (zz) & *dilexit nos ſponteneè*, (aaa) ſine ulla noſtrî indigentia aut propria ſua utilitate;

(xx) Jerem. 31. v. 3. (yy) 1. Joan. 4. v. 9. (zz) Rom. 5. v. 10. (aaa) Oſee 14. v. 5.

litate; *quoniam* teste regio Vate *bonorum nostrorum non eget*, (bbb) nilque nostrûm in nobis reperit quàm nihilum & peccatum, quod potiùs irritamen odii quàm illicium dilectionis fuit.

Tertia qualitas munifici hujus amoris in eo consistit, quod sit *infinitus*; nam est ille ipse secundùm suam (quod ajunt) entitatem spectatus, quo immensum illud Numen seipsum, SS. Triadem, Christum, & Beatos diligit, diligendo te, ô anima! toto se omnique naturæ suæ infinitate; ita ut nulla in Divinitate perfectio, nulla in Trinitate Persona inveniatur, quæ te eadem charitatis infinitudine non complectatur. Præterea beneficus hic affectus se ad mortalium omnes sine ulla erga te sui imminutione extendit; cùm optimus ille Patrum *solem suum oriri faciat super bonos & malos, & pluat super justos & injustos*, (ccc) *prunas ignis* sui amoris *congregans* etiam

(bbb) Psal. 15. v. 2. (ccc) Matth. 5. v. 45.

super caput inimici, (ddd) neminem, licèt rebellem, à sua generali munificentia excludendo.

Cùm ergo DEUS tam stupenda benignitate non solùm *sua*, sed etiam *se* nobis & quidem *integrè*, id est, modo tam perfecto donaverit; quid inde concludimus? agite, his intellectis, quid statuimus? An non ergo æquum est, etiam nos illi totos vivere, qui totus noster esse ex asse voluit? An non meretur is, nos fieri sanctos, immolando ei hanc vel illam affectionem creatam, quæ præcipuum perfectionis obstaculum est; postquam se suaque omnia nobis tam profusa liberalitate sacrificavit? Ah! homo non es, tantæ largitati negare si quid audes? At non negabis, si amas; amabis autem, si hactenus dicta attentè perpenderis. Quid enim? Ergóne amore prosequi nequeas amorem ab *æterno* te amantem? ergóne diligere non possis illum, qui *prior te* & *spontaneè dilexit*, &

(ddd) Prov. 25. v. 22.

& quidem dilectione *infinita* toto se dilexit?

O ingrate! Supremum illud nullius indigum Numen integrum contra te beneficiorum exercitum in aciem educit ad expugnandam tui pectoris duritiem; cingit, & *coronat te in misericordia & miserationibus*, (eee) ut tandem aliquando, reciprocante affectu, etiam tu illi cor tuum dones. Amat te immensa Majestas illa affectione summè benefica, & sui prodiga omnes suas perfectiones, suum Filium, & Spiritum Sanctum tuum in commodum impendit, unicè ideo, ut amorem amori rependas; & tu lethali frigore torpeas?

O miser! amas hominem te diligentem; quin imò blandientem tibi canem amas, & benefacientem tibi DEUM, itaque diligentem non ames? Ut hominem benevolentia prosequaris, sufficit, ut blanda tibi fronte arrideat; en! stringit, fovet, ditat te

(eee) Psal. 102. v. 4.

paternus ille ſinus, & innumeris gratiis cumulat; nec tamen redames? Exhaurit amabiliſſima Mens illa quaſi omnem potentiam & ſapientiam ſuam, ut ſuam tibi charitatem per tot benefacta teſtetur; ita quidem ut ſi omnis illius felicitas à tuo erga ſe affectu dependeret; ſi tu DEUS DEI fores, vehementiùs erga te affici, ampliùs tibi facere nequiret: & tu ingrato tepore deſes langueas? vel unico magis generoſo actu mutuam ei fidem probare iners graveris, & ſanctitudinis callem inire vecors horreas?

Abſit tanta à te tamque bruta ingratitudo. Potiùs conjice oculos in ingentem illum bonorum cumulum, quo divina te beneficentia obruit; & audi vocem Dilecti tui tibi per Eccleſiaſticum inclamantis: *da, & accipe, ut juſtifices animam tuam.* (fff) vel (ùt legit Hugo Victorinus) *accipe, & redde. Accipe beneficium, & redde obſequium: accipe benignitatem, & redde grati-*

(fff) Eccli. 14. v. 16.

gratitudinem, (ggg) *ut sic justifices animam tuam*, novisque sanctimoniæ augmentis eandem quotidie locupletes. Amor Numinis *sua* & *se* nobis *integrè* donantis, & per hoc nostram sanctitatem merentis, potens id agendi tibi stimulus sit.

II. *Quia etiam Christus se totum nobis dedit.*

II. Præcipuè quia etiam Christus se totum nobis dedit tum *in cruce*, tum *in Eucharistia*, id quod alterum dilectionis argumentum, & procurandæ perfectionis incitamentum est. Hujus autem vim ut meliùs penetres ô anima! immensamque plenitudinem stupendi illius sacrificii, quo se totum pro nobis obtulit, rite cognoscas, *vade ad montem myrrhæ* (a) seu Calvariæ, & ibi amanti obtutu *respice in faciem Christi tui*, (b) in ara crucis voluntario holocausto se victimam immolantis. Ibi enim Eum per paupertatem propriis vestibus, per contemptum omni honore, per dolorem ipsa etiam vita in nostrî gratiam exutum, priva-

(ggg) De arca Moral. c. 2. in Tom. 2. (a) Cant. 4. v. 6. (b) Psal. 83. v. 10.

privatumque cernes; quæ tria charissima homini & pretiosissima bonorum genera sunt.

1. Inprimis enim, ut perditam nobis innocentiæ stolam redderet, *exspoliavit se* cœlestis hic *Jonathas tunica, qua erat indutus; diligebat enim nos velut animam suam:* (c) nec alia quàm cruoris purpura tectus apparuit hic *sponsus sanguinum* (d) *in die desponsationis* seu mortis *suæ;* (e) tum ut corporis nuditate ardentes intus charitatis æstus leniret; tum ut etiam nos ei cor nudum & rebus terrenis vacuum in dotem afferremus.

Quo certè facto illius sui erga nos studii magnitudinem luculenter ostendit. nam quòd stabulum palatio, laciniam purpuræ, mendicitatem opulentiæ prætulerit, doctrinæ ejus conforme exemplum fuerat, qua pauperes spiritu beatos enunciavit. Quòd oblata sibi à dœmone mundi regna con-

(c) 1. Reg. 18. v. 3. & 4. (d) Exod. 4. v. 25. (e) Cant. 3. v. 11.

contempſerit, adeò mirum non eſt; cùm fuerit præpotens cœlorum Dominus. Quòd pro ſatellitio non niſi egenos habuerit, equidem capi poteſt; cùm *regnum ejus non fuerit de hoc mundo.* (f) At verò quòd noſtrî amor, fruſtra reclamante virgineo pudore, alterum hunc ſummè verecundum Adam omni omnino veſte & quidem pleno die, inſpectante procaci plebe, noſtrî cauſa ſpoliarit; id profectò ſummi illius erga nos affectûs prodigium eſt.

Hæc vides, ô anima! & inani recula te abdicare gravaris? ut Chriſtum induas, veteri homine, vilibus crepundiis te exuere tardas? & natum cœlis cor circumfers, futili glebæ terreis compedibus adſtrictum? At cave, ne (quod minatur Propheta) *pro ſtola gloriæ* (g) *induas maledictionem ſicut veſtimentum*, (h) niſi nuda nudum ſequi decernas.

2. Verùm

(f) Joan. 18. v. 36. (g) Eccli. 15. v. 5.
(h) Pſal. 108. v. 18.

2. Verùm hoc minimè contentus hominum amator JESUS, ſuam quoque *famam*, quæ Doctore S. Thoma *inter res exteriores ſimpliciter & abſolutè maximum bonum eſt, cùm virtuti proximum ſit;* (i) hanc, inquam, ſummo vulnere integram nobis hoſtiam jugulavit; dum illud mortis genus elegit, quo nullum id temporis vilius erat, nullum ſervilius. Nam patiebatur (ſiſtite curſum ô ſidera! ac refugo flexu radios occulite!) patiebatur, inquam, orbis Dominus in monte & ſtipite eminenti, ut omnibus eſſet ludibrio: in loco capitali, ut publicè infamis haberetur: duos inter latrones, ut omnium ſceleratiſſimus reputaretur: ſub ipſum meridiem, ut omnes adeſſent: in ipſa Paſchatis ſolemnitate, qua tota natio Solymam confluebat: cœlum inter & terram medius, ut in eum tanquam in ſcopum & metam Phariſæorum calumniæ, Scribarum blasphemiæ, populi opprobria ſine obſtaculo ob loci eminentiam eò rectiùs collineare poſſent. Certè omnia

(i) 2. 2. Q. 129. a. 1. in C.

nia omnino adjuncta ingeniosus amor conjunxisse videtur, quæ hoc famæ sacrificium difficilius reddere, ejusque pretium extollere poterant, & augere.

Et tamen his insuper habitis, eam nobis integram humillimus Salvator liberali mente immolavit eo solùm fine, ut etiam nos eidem delicatum illud honoris punctum & omnis discordiæ pomum sacrificaremus. Et sit, qui his auditis superbire ausit, contemni doleat, injurias vindicet; imò & honorari prenset? O quàm dignus is foret, *ut sicut diploide operiatur confusione!* (1)

3. At verò hic necdum stitit profusissima in nos charitas Servatoris. Totum insuper *corpus* suum vicariam pro nobis victimam obtulit, dum illud summis angoribus, suppliciis, cruciatibus affligendum, dilaniandum, torquendum tradidit, ut hac ratione læsam à nobis DEI justitiam placaret, &

(1) Psal. 108. v. 18.

& luendas nobis pœnas ipſus exſolveret. In hoc ergo amoris ſimul & doloris theatrum molles oculos pauliſper defigamus.

En! ô anima! Dilecti tui pedes & manus clavis acerbè terebrantur: venæ & nervi violenter extenduntur: caput ſpinarum aculeis altè perfoditur: labia propinato felle impiè amaricantur: latus lancea barbarè transfoditur. Denique ſumma inter artuum tormenta & infandas animi anguſtias Filius à Patre derelictus, Magiſter à diſcipulis deſertus, Dominus à Petro negatus; verbô: JESUS innocens carnificum rabiei à judice traditus, parentante natura, ſalvatorem orbis emiſit ſpiritum.

In ſumma: nullum eſt in corpore membrum, nullum in membris oſſiculum, arteria, nervulus aut fibrilla nulla, quam pro nobis divinæ Nemeſi non obtulerit cruciandam; ne noſtram nos (aures arrigite ô abjecti voluptatum aucupes!) ne noſtram nos

cuticu-

cuticulam foveremus. Omnes corporis ſenſus & animæ facultates lubens obtulit, in noſtrî gratiam peculiaribus ſuppliciis afficiendos; ne carnis nos illecebras ſectaremur. Ipſam denique vitam nobis in ſummi amoris pignus irrevocabili munere conſecravit ſolùm ideo, ut poſthac *non jam nobis viveremus, ſed ei, qui pro nobis mortuus eſt.* (m)

O verè magnum divinæ charitatis prodigium! Certè ſi teſte ſacro Codice *majorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, (n) quis maximâ Chriſtum flagraſſe negabit; dum ſublimem illam divinamque animam poſuit, & morte tam cruenta poſuit, & quidem pro inimicis ac rebellibus ſervis poſuit? Quis inficias ibit, illum ſe nobis in cruce totum quantum donaſſe; dum veſtes, famam, & vitam adeò largè noſtrî cauſa prodegit? Et proin Eundem omnibus titulis mere-

(m) 2. Cor. 5. v. 15. (n) Joan. 15. v. 13.

ri, ut illius ſanctitatem æmulando, toti ejus etiam nos ſimus.

4. Præcipuè cùm in Euchariſtia hæc donatio perenni miraculo continuetur; quin imò immenſùm augeatur, ac nobilitetur. Ibi enim amabilis JESUS non ſolùm dat tunicam humana manu contextam, ſed triticeum, quo prodigioſè obtegitur, velum; non ſolùm prodigit famam Filii-Hominis, ſed quaſi proſtituit dignitatem Hominis-DEI; dum ejus Majeſtatem tam vili ſpecierum tegmine occulit, totque injuriis palam exponit; non ſolùm tradit corpus morti & doloribus obnoxium, ſed pati neſcium, immortale, glorioſum. Præterea ibi non tantùm nobis offert carnem in ſacrificium, ſanguinem in lavacrum, ſeipſum in exemplum; ſed inſuper in cibum, potum, & medicamentum. Ibi denique dum in talem ſe victimæ ſtatum redigit, in quo naturaliter nec videre, nec audire, nec loqui, nec ſentire, nec ullum penitus motum exercere valet; dum,

inquam,

inquam, hoc agit, ſuorum ſenſuum omnem uſum ac exercitium nobis cumulatè ſacrificat, continuando ad finem mundi prodigio; ita quidem, ut non tantùm nihil in eo ſit, quod nobis non pleno jure ceſſerit; ſed nec alius perfectior modus ſe nobis dicandi ab angelico intellectu excogitari poſſit.

Cùm ergo Chriſtus (ô Angeli noſtram nobis felicitatem ne invideatis!) cùm ergo Chriſtus teſte Bernardo totus nobis datus, totus noſtros in uſus ſit expenſus; cui frons tanto ære aut ferro rigebit, ut negare auſit, par pari reddendum, amore amori reſpondendum eſſe? Cùm olim *pellem pro pelle, dentem pro dente, oculum pro oculo* (o) lex Talionis exegerit; quis inficias ibit, lege charitatis cor cordi, totum toti rependendum eſſe? præcipuè Dilecto toties roganti: *præbe fili cor tuum mihi.* (p)

O mortales! vim, quæſo, dictorum perpendite. En! nihil eſt in

(o) Job. 2. v. 4. (p) Prov. 23. v. 26.

Christo, quod nostrum non sit. nostrum est illius corpus; quia pro nobis vulneratum. noster illius sanguis; quia pro nobis effusus. nostra illius vita; quia pro nobis in necem data. nostra illius merita; quia nobis sub mortem testamento legata. In summa: se totum nobis dedit in cruce, totum in Eucharistia; ubi (interprete Synodo Tridentina) *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit;* (q) ita quidem, ut amplius quid vel melius dare nec potentissimus queat, nec sapientissimus sciat; *quid enim melius poterat dare seipso vel ipse?* (r) Hæc ergo cùm ita se habeant; cúmque Salvator nostrum vicissim amorem, quo ad sectandam perfectionem impellamur, tanto affectu zelet, totque nominibus mereatur; quid nobis jam agendum sit, decernamus. Illud tamen priùs diligenter perpendamus,

III. *Quia etiam totum*

III. Quòd etiam totum dando parum demus; id quod tertium est per vir-

(q) Sess. 13. cap. 2. (r) Bernard. Serm. 11. in Cant.

virtutem ſolidam nos DEI ſervitio *dando, parum damus.* conſecrandi incitamentum. Hìc autem ſpeciatim te attentum volo amice Lector, utque dicenda non tam legas, quàm ſingillatim expendas, vehementer exopto. Aſſero itaque, nos etiam totum dando parum dare, idque ob ſequentes, quas in pugnum contraho, rationes. Nam primò parum eſt, quod damus, ſi ſpectetur vilitas illius, qui dat; quid enim eſt homo, quàm *momentum ſtateræ, gutta roris antelucani,* (a) *ſtella ſitulæ, & pulvis exiguus?* (b) Item parum eſt, ſi conſideretur nullius indiga Majeſtas ac omnipotens ſufficientia illius, cui datur; nam *quid prodeſt DEO, ſi juſtus fueris? aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua?* (c)

Præterea parum eſt, quod damus, ſi illud ex una parte comparemus magnitudini & copiæ beneficiorum à cœlo nobis collatorum; ex altera verò

(a) Sap. 11. v. 23. (b) Iſa. 40. v. 15. (c) Job. 22. v. 33.

parte ſi æquiparemus cum numero & gravitate ſcelerum à nobis patratorum, profectò *ſicut pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ* erunt, (d) & tanquam nihilum evaneſcent in conſpectu illius beneficentiſſimæ Infinitatis. Denique parum imò nihil eſt, quod damus, ſi conferatur cum eo, quod ſæculares agunt pro mundo, quod Sancti patrarunt pro DEO, quodque meretur cœlum; cùm ſecundùm Pauli oraculum *non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (e) Ita ut jure alto cum gemitu fateri cogamur, nos etiam totum dando parum imò nihil dare.

Jam verò ſi ita res ſe habet; ſi etiam totum dando parum damus; ſi etiam omnia agendo nihil agimus, ac *ſervi inutiles ſumus;* (f) quid ergo erit, etiam hoc parum negare, vel partiri inter DEUM & res creatas velle? etiam hoc modicum ſeu nihilum Supremo Nu-

(d) Iſa. 64. v. 6. (e) Rom. 8. v. 18. (f) Luc. 17. v. 10.

Numini litare nolle? O Superi! si *Saulem projecit Dominus, ne sit rex super Israël; quia pepercit Agag?* (g) si *lapidatus est Achan, & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt; quia tulit aliquid de anathemate*, quod integrum erat coram Arca offerendum? (h) si Ophni & Phinees gladio percussi corruerunt; quia ex victima holocausti crudam sibi partem retinuerunt, nec integram immolarunt? (i) Quid nobis fiet? qui pariter *duplici corde* (l) *in duas partes claudicamus?* (m) & modò huic appetentiæ, modò illi veluti totidem Ammonitis parcimus?

Quid enim? An ergo solummodo nobis impunè cedat, mutilum quid & mancum Regi regum consecrasse? An solùm nobis liceat, ex devota cœlis hostia quicquam sacrilega manu decerpere? & inita quasi naturam inter & gratiam compositione, tantum ali-

(g) 1. Reg. 15. v. 9. & 26. (h) Josue. 6. v. 19. & cap. 7. v. 1. & 25. (i) 1. Reg. 2. v. 15. & cap. 4. v. 17. (l) Eccli. 2. v. 14. (m) 3. Reg. 18. v. 21.

aliquid boni operis pietati dicare, & interea animi dominatum perversæ cupiditati relinquere? nobis, inquam, quos statûs sanctitas, vocationis excelsitas, votorum conditio totos ejus esse summis nominibus obligat, & adstringit? O quàm facundè contrarium nobis Ananias & Saphira emortua voce præsagiunt, & ominantur! (n)

Igitur sacræ Themidi ne etiam nos pœnas demus, omnem animæ partitionem execremur; cùm multa non possimus, saltem agamus illud modicum, quod possumus; cùm grandia non habeamus, saltem demus illud parum, quod possidemus; sed tamen hoc parum demus totum; idque triplici ex capite demus, 1. quia etiam DEUS se totum nobis donat. 2. quia etiam Christus se totum nobis dedit. 3. quia etiam totum dando parum damus. Tres hæ rationes sint funiculus ille triplex, quo sibi ligatos amor divinus ad virtutem solidam pertrahat, quam

(n) Act. 5. v. 3. & seq.

quam à nobis non minùs exigit, quàm meretur DEUS.

Itaque ô ardens humani æmulator cordis! qui nec ejus dimidium acceptas, ſi integrum negetur; illudque aut totum cupis, aut omne reſpuis; ah! quid tibi retribuam pro teipſo, niſi meipſum? cùm mihi dederis totum te, quid minus rependere poſſum quàm me? Statutum proin eſt, (teſtes mihi Cœlites ſint) tuus inpoſterum totus ero; deinceps ſolus tu cordis mei dominator eris. Nihil jam juris in illud mundo, nil amori proprio competat: dejiciatur mentis throno imperans eidem affectio: moriatur pravus ille appetitus, qui animum hucusque miſerè captum tenuit. Rebellet licèt caro, & ringens obluctetur orcus: licèt complices obmurmurent ſenſus; fixum eſt: moriatur; ſolus in anima regnet DEUS: ſolus in medio mei vivat Chriſtus, & divinus triumphet amor. Amor Numinis, noſtram ſanctitatem merentis, omnia obſtacula tollat, cunctas difficultates perrumpat, planum-

qúe reddat, quod acclive videtur; perfectionis ſtudium deinceps ſummum imò unicum mihi negotium ſit.

Quid hæres ô anima? quid anceps nutas, aut anxia tardas? tam magnum ergo malum ſit, totum DEI eſſe? Ergóne tu ſufficias DEO, nec DEUS ſufficiat tibi? *Quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* (o) verbô: quæ comparatio hujus humani reſpectûs, aut creatæ affectionis cum Supremo Numine, ut & illis aliquem in animo angulum reſerves? Si etiam totum dederis, an offeres æquivalens illi, quod accepiſti? Vah! omnia tua nihil ſunt; & hoc nihilum conſecrare dubites? Si mille tibi corda forent, ei dignè amando non ſufficeres; unicum cùm habeas, idque tam anguſtum, etiam hoc partiri audeas? Quæ hæc æquitas foret, quæ gratitudo?

Viciſti, ô amabiliſſime cordium DEUS! viciſti, victas amori do manus

(o) 2. Cor. 6. v. 14. & 15.

nus. Tibi ſoli debetur cor meum. nullus in eo poſthac erit locus peccato, nullus tepori, aut vitio dominanti. Amor proprius inde æternùm exulabit. nullus in eo erit motus, qui non unicè tendat ad te. Geminæ hæ teſſeræ: *DEUS vult, me fieri ſanctum; DEUS meretur, me fieri ſanctum*, duplex pariter calcar erunt, in via virtutis duplicato greſſu quotidie proficiendi. Utque verbis facta reſpondeant, ab hoc N. actu heroico hodie adhuc correctiorem vitam auſpicabor. Id ſolùm à tua infinita Bonitate ſupplici gemitu peto, ut hoc cordis mei holocauſtum, & comparandæ virtutis propoſitum in odorem ſuavitatis admittere digneris; & ſicut ad illud offerendum voluntatem, ſic etiam ad hoc explendum gratiam uberem largiaris.

§. III.

§. III.

Indicia Amoris divini & proprii.

EX iis, quæ hactenus præsenti hoc capite disputavimus, luculenter constat, amorem DEI, perfectionem à nobis tum exigentis, tum merentis, non solùm potens illius sectandæ incitamentum; sed etiam efficax ejus acquirendæ allevamentum esse. Nam (ùt ait Præsul Hypponensis) *ubi amor est, ibi labor non est; sed sapor & dulcor*, (a) qui emollit, quidquid asperum; ac dulce & facile reddit, quidquid amarum & arduum in sanctitatis semita exantlandum occurrit.

Quàm excellens autem ejusmodi dilectio sit, inde patet; quia virtutum regina, *vinculum perfectionis*, (b) *plenitudo legis*, (c) & *perfectissima justitia est*, (d) fidem, & spem sua eminenti

(a) Serm. 4. de verbis Domini. (b) Coloss. 3. v. 14. (c) Rom. 13. v. 10. (d) Aug. in Soliloq. l. 2.

nenti dignitate transcendens secundùm illud Pauli affatum : *major autem horum est charitas.* (e) Imò teste Bernardo *tota animæ præstantia à charitatis mensura desumitur ; qualis amor est, talis homo est.* (f) *Talis verò amor est,* (prosequitur Augustinus) *qualis res amata est. si bonum amas, bonus es : si malum, malus es : si summum bonum, optimus es. Amas vanitates, vanus es: amas terrena, terrenus es: amas DEUM, divinus es.* (g) Ex quibus virtutis hujus supra cæteras excellentia, & præstans sublimitas abunde elucet.

Porro hæc ipsa dilectionis eminentia in causa est, quòd stygius hostis omni astu allaboret, ut cœlestem hanc gemmam spurio colore adulteret, nobisque amorem proprium pro divino venditet. Ne itaque etiam nobis fucum faciat, ob oculos ponam indicia amoris 1. divini, 2. proprii, ut genuina eorum notitia imbuti, eò faci-

(e) 1. Cor. 13. v. 13. (f) Serm. 9. in Cantica. (g) In Soliloq. l. 2.

faciliùs *pretiosum à vili* (h) discernamus, ac etiam separemus.

I. *Indicia amoris divini.*

I. Primum itaque veri amoris signum est constans & accurata *observatio mandatorum DEI*, non solùm graviter sed etiam leviter obligantium; ita ut quis religioni sibi ducat, supremo Numini etiam in re minima pleno cum assensu displicere. Primariam hanc divinæ dilectionis notam esse, geminis tum scriptæ, tum novæ legis testibus comprobatur, nempe Ecclesiastico & Joanne, quorum ille hæc habet: *qui diligunt illum, conservabunt viam* seu legem *illius;* (i) hic verò sic scribit: *in hoc scimus, quoniam cognoscimus* (seu amamus) *eum*, si *mandata ejus observemus.* Contrà verò *qui dicit, se nosse* (sive diligere) *eum*, (l) &

(h) Jerem. 15. v. 19. (i) Eccli. 2. v. 18.
(l) Ita tò *cognovimus*, & *nosse* exponit Cornelius à Lapide in hunc locum, dicens: *QUONIAM COGNOVIMUS eum cognitione non tantùm speculativa, sed & practica, quæ cum affectu & amore conjuncta est, ac in opus derivatur. Cognovimus ergo, id est, novimus, & diligimus eum, si mandata ejus observemus.* Et in versum 4. *NOSSE ergo est, ita nosse, ut amet Deum, eique per omnia obediat.*

& mandata ejus non custodit, mendax est; & in hoc veritas (seu charitas) *non est; qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas DEI perfecta est.* (m) His pondus addunt illa Christi verba: *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me;* (n) à contrario concludens: ergo, qui ea non servat, non me diligit. Et hinc etiam Ipse, *ut cognosceret mundus, quia diligeret Patrem,* (o) *quæ placita erant ei, fecerat semper.* (p) Ut proin ex ipso Spiritûs Sancti eloquio clarè constet, sedulam præceptorum DEI observantiam evidens genuini amoris indicium esse.

Inquire igitur, an etiam tu primæ hoc charitatis in te vestigium reperias? An etiam tua sit *fortis, ùt mors dilectio?* ita quidem, ut *nec aquæ multæ* terrestrium illecebrarum eam *extinguere, nec flumina* avernalium tentationum *illam obruere* possint? (q) Talis equi-

(m) 1. Joan. 2. v. 3. & seq. (n) Joan. 14. v. 21. (o) Joan. 14. v. 31. (p) Joan. 8. v. 29. (q) Cant. 8. v. 6. & 7.

equidem fuerat Doctoris Gentium charitas, qui ſtygi inſultando omnem ejus rabiem omniumque adverſitatum panopliam provocabat, audacter exclamando: *quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio?* (r) Nec minùs fortiter egit, quàm dixit; nam eum *nec repugnans in membris lex*, (s) *nec ſtimulus carnis, nec angelus ſathanæ, colaphizans* eum, (t) cum ſuis omnibus illiciis, aſſultibus & dolis ab amoris tramite vel latum unguem in transverſum impellere poterant, *in his omnibus ſuperabat.* (u)

Age jam, num talis mens etiam tibi ſub pectore gliſcit? An adverſa etiam tibi oleum & ligna ſunt, queis in te cœleſtis hæc flamma nutriatur? An etiam tu Pauli exemplo *certus es, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque creatura alia poterit te*

(r) Rom. 8. v. 35. (s) Rom. 7. v. 23. (t) 2. Cor. 12. v. 7. (u) Rom. 8. v. 37.

te separare à charitate DEI. (x) Hìc gradum siste, & ad hunc lapidem Lydium amorem tuum examina.

O quàm triste foret! si *propter pugillum hordei & fragmen panis*, (y) *si pro lentis edulio* (z) *& folio, quod vento rapitur*, (aa) *si ob paululum mellis* (bb) *derelinqueres DEUM factorem tuum?* (cc) *si illum projiceres post corpus tuum*, (dd) *eique redderes mala pro bonis, & odium pro dilectione?* (ee) si relicto cœlesti Sponso anima tua *insaniret post amatores* alienos! (ff) & *hinniret* ad res illicitas? (gg) Si despecta Arca Dagoni litares, & pro re nihili summam Amabilitatem offenderes? Enimvero talis si es, tantum abest, ut instar Pauli in charitate solidatus sis, ut ne quidem primum ejus gradum conscenderis, qui consistit in horrore & fuga peccati omnisque illius, quod purissimis oculis infinitæ

(x) Rom. 8. v. 38. (y) Ezech. 13. v. 19.
(z) Gen. 25. v. 33. (aa) Isa. 40. v. 17.
(bb) 1. Reg. 14. v. 43. (cc) Deut. 32. v. 15.
(dd) Ezech. 23. v. 35. (ee) Psal. 108. v. 5.
(ff) Ezech. 23. v. 5. (gg) Jerem. 5. v. 8.

illius ſanctitudinis diſplicet, & adverſatur.

O Domine! *pone ſpiritum tuum*, ſpiritum amoris, *in medio mei, & fac, ut in præceptis tuis ambulem, & judicia tua cuſtodiam.* (hh) *Scribe illa in tabulis cordis mei* (ii) eodem dexteræ tuæ digito, quo olim illa *tabulis lapideis in monte Sinai inſcripſiſti;* (ll) idque tam fortiter, ut nulla poſthac oblivioſa transgreſſione ex eo deleantur. Sola hujus teſſeræ memoria: *hoc diſplicet Numini*, contra omnes nævos impervius mihi clypeus ſit.

2. Verùm genuinus amor non ſolùm nil agit, quod offendit Dilectum, eique injucundum accidit; ſed etiam illa, quæ eidem grata ſunt, ideo ſolùm peragit; quia ei placent. Proin *puritas intentionis* in operibus ſingulis eſt *alterum* ſinceræ dilectionis argumentum. Nam (ùt docet Clemens Alexandrinus) *qui charitate perfectus eſt,*

opus

(hh) Ezech. 36. v. 26. (ii) Prov. 7. v. 3.
(ll) Exod. 24. v. 14.

opus bonum eo fine expedit, quia DEUM amat; is operum ejus causa longè gravissima, imò unica est. (mm) Aliud præterea qui suis actionibus intendit, supremam Bonitatem rite non diligit. Nam *suspectus* Bernardo *est amor, cui aliquid aliud adipiscendi spes suffragari videtur.* (nn) Et hinc eodem auctore *amandus est DEUS* absque intuitu præmii. nam charitas vera mercenaria non est; quippe quæ *non quærit, quæ sua sunt. Verus Numinis amor seipso contentus sibi ipsi præmium est; neque præter amatum aliud quærit.* Hæc Abbas mellifluus. (oo) Ex quibus patet, puritatem intentionis, infallibilem puri amoris indicem esse.

Quapropter licèt *apertis cœli cataractis* (pp) deciduo inde diluvio orci incendia extinguerentur; licèt eluctante in altum omni elemento ignis, empyrei atria comburerentur; tamen verus amator à pristina operandi methodo nil quicquam remittet. licèt negotia

(mm) Lib. 1. Stromat. (nn) Serm. 83. in Cant. (oo) Ibidem. (pp) Gen. 7. v. 11.

gotia etiam ſancta, & optimo ex fine ſuſcepta, optatum minimè ſortiantur effectum; ille nihilominus æquè pacatos vivit dies, ac ſi conatui feliciſſimus reſponderet ſucceſſus. Contrà verò ſecus qui agunt, ſat apertè demonſtrant, ſuis operibus non ſolùm divinam ſe, ſed etiam humanam intendere laudem, ſuasque actiones prava intentione corruptas ſordeſcere; ſe autem vera charitate deſtitutos languere.

Proin examina, an non etiam tu ex hoc morbo decumbas? An amor divinus ſit unicum principium, incitamentum, & finis tuarum operationum? An non ſubinde incepti cum DEO & pro DEO labores poſtea ex amore proprio ob commodum privatum continuentur? Disquire, an & quàm accuratè illam à Paulo præceptam ſerves regulam: *omnia veſtra in charitate fiant?* (qq) *ſive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in majorem DEI gloriam facite?* (rr)

Quàm

(qq) 1. Cor. 16. v. 14. (rr) 1. Cor. 10. v. 31.

Quàm meritò autem id à nobis exigatur, in propatulo eſt; nam, teſtante eodem Gentium Doctore, *nemo noſtrûm ſibi vivit, ſed Domino;* (ss) ergo juſtum eſt, ut etiam nemo ſibi operetur, ſed ei, per quem vivit, & operatur. Dein non noſtri, ſed *Domini ſumus;* ùt idem Apoſtolus aſſeverat. (tt) ergo cùm, ſuffragantibus cunctis legibus, ager fructum ferat ſuo domino, cur non etiam tu DEO?

O alme mortalium Creator! *totum hominem jure exigis, qui totum hominem feciſti;* adeóque *minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat;* (uu) minùs te amat, qui minimum quid agit, quod non omne ad te dirigit; qui vel ſemel reſpirat, quin te anhelet. *O pulchritudo tam antiqua & tam nova! ô quàm ſerò*, quàm parum, quàm imperfectè *te amavi!* (xx) Sed deinceps temporis moram affectuum contentione compenſabo. Imò jam nunc amo te, ô Mens perfectiſſi-

(ss) Rom. 14. v. 7. & 8. (tt) Rom. 14. v. 8.
(uu) Aug. l. 10. Confeſſ. c. 29. (xx) Ibid.

fectiſſima! amo te toto corde, tota anima, totis viribus meis, idque purè propter te ac infinitam amabilitatem tuam. Nulla ſit operatio, quæ non ſemper & unicè tendat ad te. Sanctus hic amor omnium deinceps actionum felix initium, ſcopus & anima ſit.

3. *Tertium* puræ charitatis ſignum eſt *conformitas voluntatis* noſtræ cum divina. Nam (ùt docet S. Dionyſius Areopagita) *amor virtus unitiva eſt non ſolùm æqualium cum æqualibus, ſed etiam inferiorum cum ſuperioribus.* (yy) Hæc autem conjunctio obtineri nequit niſi per conformationem voluntatum, qua mutuò amantes idem ſentiant, & velint: idem optent, & nolint. Id aſſerit S. Bernardus: *unitas noſtri ſpiritûs*, inquiens, *cum DEO tum habetur, quando anima non ſolùm vult, quod DEUS vult; ſed quando ne quidem poteſt aliud velle, quàm quod DEUS vult.* (zz) Ex quo ſequitur charitatem in hac mentium conſenſione velut cauſam in ſuo effectu

(yy) De Eccles. Hierarch. (zz) Tract. de vita, ſolit. ante finem.

effectu consistere; adeóque hanc felici nexu prioris indicium esse.

Dein (ùt commune adagium fert) amor aut similes invenit, aut facit; ergo qui perfectè divinam Majestatem diligit, se illi etiam perfectè assimilet, conformetque, necesse est; perfectè autem se nunquam conformabit, quamdiu voluntate ab eo discordabit. Ergo repugnat inveniri genuinam charitatem sine socia hac unitate. nam animis amare, ac uniri, & tamen voluntatibus discrepare, ac divelli, paradoxum est. ergo ubi non apparet hæc voluntatum æquabilitas, ibi neque latet vera charitas. Contrà verò ubi illa promicat, etiam hanc intus residere, nemini dubium est.

Præterea verus amor (quæ S. Ignatii doctrina est) *consistit in mutua facultatum, rerum & opum communicatione.* (aaa) Jam autem sine integro nostri arbitrii sacrificio non potest subsistere plena hæc DEUM inter & ho-

(aaa) In lib. exercit. in contempla. de amore.

minem bonorum communio ; ergo nec ſolidus amor. Quidquid enim Supremo Numini dederis, ſi illud negaveris, nihil dediſti; cùm non tua, ſed te petat cœleſtis Sponſus; te autem nunquam donabis, quamdiu præcipuam tui partem, liberum nempe arbitrium, reſervabis. Denique (ùt ait Gregorius Magnus) *ille perfectè Creatorem diligit, qui de ſe ſibi nihil relinquit.* (bbb) Jam verò principem animæ facultatem tibi retinendo, te tibi totum ſervas. ergo eum perfectè non amas. Ex quo ſole clariùs patet, ſine voluntatis noſtræ cum divina conſpiratione genuinam charitatem haberi non poſſe; illam verò hujus evidens ſignum eſſe.

Hanc ergo præcipuam tui partem ad conſcientiæ tribunal nunc evoca, eamque examina, quanam potiſſimùm re à divina diſſideat? Quid DEUS te facere velit, quod tu agere horreas? quam reculam aut affectionem creatam ſibi à te immolari cupiat, & quam

(bbb) Lib. 10. Moral. cap. 4.

quam tu dare avarus respuas? An eâdem, qua Job & Heli, mentis æquitate adversa excipas? num illa eorum verba: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum:* (ccc) item: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat;* (ddd) premente sinistra sorte, etiam tibi familiare scutum sint?

Age, an malles ex DEI voluntate potiùs esse vilis vermiculus, quàm sine illa sublimis Seraphinus? num potiùs eligeres cum illa nihil agere, & continuò ægrotare, quàm sine illa fidei lumine totum mundum illustrare? An magis velles ex Numinis nutu quævis atrocia pati, quàm sine illa deliciis affluere? . . . . Hìc equidem ingemiscis, & ab isto te gradu longissimè remotum doles. Et tamen is perfectæ charitatis individuus comes est.

Ergo saltem dispice, an cadaver hominis, & baculus senis tuum pariter symbolum sint, ita ut æquali facili-

(ccc) Job. 1. v. 21. (ddd) 1. Reg. 3. v. 18.

tate attolli te, & abjici: vestiri, & nudari sinas? An æquè indifferens ad honores & contemptus, ad commoda vel incommoda, quàm sculpta ex marmore statua sis? vel num saltem ad omnem locum & quodvis munus tua se indifferentia extendat? Quantum hac in re deficis, tantum ab amoris perfectione recedis. Hujus ergo defectum ut emendes, sæpius cum Saulo, & eodem, quo ipse, animo suspira: *Domine, quid me vis facere?* (eee) moxque, intellecta ejus voluntate, cum Davide exclama: *paratum cor meum DEus: paratum cor meum.* (fff)

O Supreme Moderator orbis! *qui appendis tribus digitis molem terræ,* (ggg) eandem Sapientia, Bonitate, & Omnipotentia veluti totidem digitis gubernando; en! totum me tuo nutui regendum committo. *Sicut lutum in manu figuli, sic ego in manu tua;* (hhh) *gyra, & reversa me per circuitum; paratus*

(eee) Act. 9. v. 3. (fff) Psal. 107. v. 2.
(ggg) Isa. 40. v. 12. (hhh) Jerem. 18. v. 6.

ratus ad omnia sum. (iii) Et hinc in conspectu totius curiæ cœlestis etiam ego cum Ignatio *libertate privo me, ut sponte vinctus sequar te: protestor nihil velle me, nisi quod sciam velle te. Fac mecum sicut scis, & vis; nam scio, quòd amator sis. Amore solo dona me, ut ego quoque amem te. Hæc dando dabis omnia.*

4. Quartum denique generosi amoris indicium est, multa pro dilecto ac magna agere, & pati; quorum utrumque operationis nomine intelligitur. Ita sentit Gregorius Magnus: *signum amoris*, inquiens, *non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis.* (kkk) Huic sententiæ suffragatur Bernardus, ita differens: *tunc verè DEUM diligis, si pro amore illius bona, quæ potes, operaris.* moxque sui effati hanc rationem subdit, dicens: *nam amor, si verè amor est, magna operatur; si verò non operatur, amor non est. Unde in Canticis Canticorum* (ejusdem

(iii) Thom. à Kemp. l. 3. c. 15. (kkk) Lib. 2. in 1. Reg. 4.

dem Abbatis verba ſunt) *Sponſus Chriſtus ad Sponſam animam ait: pone me ùt ſignaculum ſuper cor tuum, ùt ſignaculum ſuper brachium tuum. Non ſolùm vult poni ſuper cor, ſed etiam ſuper brachium; quia in corde ſunt tantùm cogitationes; at in brachio ſunt operationes. Ergo non ſolùm ſuper cor, ſed præcipuè ſuper brachium Sponſæ Dilectus ùt ſignaculum vult poni; quia quantum is ab anima ſancta diligatur, actione potiſſimùm deſignatur.* Hæc ille. (lll) Ex quo ſequitur, magnarum rerum pro DEO patrationem infallibile charitatis divinæ indicium eſſe. Nam, (quæ pii Aſcetæ obſervatio eſt) *qui non eſt paratus omnia pati, & ad voluntatem ſtare dilecti, non eſt dignus amator appellari. Oportet amantem omnia dura & amara propter dilectum libenter amplecti; nec ob contraria accidentia ab eo deflecti.* (mmm) Secus qui fecerit, adhuc fortis & prudens amator non eſt.

Inquire itaque, qua fidelitate auſcultes divinis inſtinctibus ad hoc vel illud

(lll) Serm. 51. de modo bene vivendi. (mmm) De imit. Chriſti. l. 3. c. 5.

illud patrandum, aut omittendum te impellentibus? Qua aviditate arripias occaſiones magni aliquid pro augenda Numinis gloria, aut promovenda aliorum ſalute explendi? An tibi conſcius ſis, te per vitæ curſum tale quid aut generoſè egiſſe, aut patienter tuliſſe, quod obtinendæ finalis gratiæ prudentem tibi ſpem faciat? Tandem diſpice, qualem actum heroicum exerceri à te repetitis impulſibus petat ſtans, & pulſans ad cordis oſtium DEUS? Hac in re ſurdum agere, magnum animi frigus argueret, & ingentem amoris defectum.

O Domine JESU! *qui ignem veniſti mittere in terram, nec aliud vis, niſi ut accendatur*; (nnn) *aufer*, quæſo, *à me* hoc *cor lapideum*, quo hactenus tot amoris tui ſpicula dura cautes eluſi; *& da mihi cor carneum*, (ooo) divinis motibus aptum & omnem ad nutum tractabile. Succende in eo illum divinæ charitatis *ignem*, *qui nunquam dicit*,

(nnn) Luc. 12. v. 49. (ooo) Ezech. 11. v. 19.

cit, *sufficit* ; (ppp) sed semper in altum evolans plus ultra tendit. Da, ut eo animata mens mea generosos assurgat in ausus, & pro Dilecto magna operando se verè amantem probet.

II. *Indicia amoris proprii.*

II. Verùm frustra dignoscendo, & acquirendo amori divino nos impendimus, nisi amorem proprium continuo certamine alacres impugnemus. Hic enim prioris juratus est hostis, æmulus & rivalis; ita quidem ut oriente uno, alter occidat: stante uno, alter corruat: prævalente uno, alter succumbat, necesse sit. Nam teste Augustino *anima per odium sui proficit in amore DEI;* (a) & hinc quantum te oderis, tantum Numen amabis; nec poterit ad te intrare amor DEI, nisi inde exulet amor tui.

Ratio in promptu est; quod enim charitatem divinam impedit, debilitat, expellit, sunt gratiæ neglectus, animi tepor, & graves lapsus. Jam autem

(ppp) Prov. 30. v. 17. (a) Lib. de spiritu & anima.

autem amor proprius eſt gratiæ obſtaculum, fervoris excidium, & ſcaturigo peccatorum. Eſt radix omnium morborum animæ, nutrix quorumlibet in orbe vitiorum, anteſignanus cunctarum rebellium cupiditatum: principium, cuſtos, & fulcrum omnium pravarum molitionum. Eſt inimicus perniciosiſſimus, (quia domeſticus) qui in cordis medio ſua caſtra metatur, & quem inſitum naturæ nobiſcum individui circumferimus. Eſt inimicus callidiſſimus, & ad fallendum aptiſſimus æquè ac pertinaciſſimus. Eſt inimicus non niſi maxima cum difficultate ſuperandus, qui infirmari, & ſubigi poteſt, omnino deleri non poteſt.

Denique eſt inimicus infenſiſſimus DEO, cui debitam affectionem præripit: infeſtiſſimus homini, quem in præſens exitium impellit; cùm enim arcis, quam obſidet, quodammodo dominus ſit: cùm cæcata fucis ratione, voluntatem dominam ſuis blandiriis faſcinet, & inita cum carne & ſen-

ſibus

ſibus conſpiratione, cum dœmone colludat; neceſſariò animam ſibi mancipatam in ſummum diſcrimen adducit. Unde veriſſima Auguſtini ſententia eſt, dicentis: *ſicut totum hominis bonum eſt amare DEUM; ita totum hominis malum eſt amare ſeipſum.* (b) Adeóque *vitium hoc* (ùt Idem concludit) *maximè cavendum eſt, utpote à quo tanta mala procedunt.* (c)

Magnum proin operæ pretium erit genuina, queis hæc peſtis diſcernitur, ſigna in medium attuliſſe, idque eò magis, cùm pietatis larvam induere, & virtutis pallio ſe obtegere eidem familiariſſimum ſit. Porro ſicut fuga peccati, puritas intentionis, conformitas cum divina voluntate, & grandium pro dilecto rerum operatio quatuor præcipua amoris divini indicia ſeu comites ſunt; ita è contrario lapſuum frequentia orta ex cæcitate mentis: intentionis corruptio profluens ex nimia honorum & commoditatum appeten-

(b) Cap. 26. Manual. (c) Aug. tract. 123. in Joan.

appetentia: nostri arbitrii contra divinum rebellio suscitata à voluntate propria: denique enervis ad bonum languor proveniens ab horrore difficultatum in via virtutis superandarum, domesticæ hujus Lernæ proditorii indices ac socii sunt.

Ad primum quod attinet, de eo testimonium fert omni exceptione majus ipse Gentium Doctor Paulus; dum enim, ad Timotheum scribens, vaticinatur, *fore homines seipsos amantes*; mox texit ingentem nævorum ex hoc fonte emanantium seriem, subjungendo: *erunt cupidi, elati, superbi, blasphemi, ingrati, inquieti, criminatores, incontinentes, immittes.* (d) Quorum omnium amorem proprium unicam originem esse, clarè testatur his verbis initiô positis, nempe: *erunt homines seipsos amantes*; quo innuit, hoc morbo laborare, & frequentibus noxis scatere, synonymum esse.

Huic Apostoli sententiæ suffragatur Theologorum Phæbus Aquinas, dum docet:

(d) 2. Tim. 3. v. 2.

docet: *manifestum esse, quòd inordinatus amor sui sit causa omnis peccati.* (e) Quin imò ipse jam est omne nefas & peccatum; quia in eo (tanquam in fonte rivuli) cætera omnia continentur, nullumque in terris flagitium est, quod inde suum non ducat initium. Proin quicunque hoc monstrum in sinu fovet, omnia secum piacula circumfert, quæ, licèt explicita non sint, sunt tamen (ùt Philosophi loquuntur) in potentia, & quodammodo inchoata; quæ, quamvìs nos non semper noxios efficiant, reddunt tamen nunquam non calamitosos.

Accedit, quòd intestina hæc lues pravis cupiditatibus omne robur suppeditet, dœmonis fidelem ministrum agat, mundo summè amicus sit, sensibus omnia permittat, carni in omnibus conniveat. Quis ergo neget, eundem omnium vitiorum matricem lacunam esse? Nec mirum; *sicut enim omnis arbor mala malos fructus facit, nec potest*

(e) 1. 2. Q. 77. a. 4. ad 5.

potest nisi malos proferre; (f) sic quoque ex vitiosa hac radice non nisi plurimi defectus pullulare consueverunt. Ex quorum copia tanquam suis ex fructibus infelix hæc arbor facilè dignoscitur.

Hujus rationem assignat magnus ille Pontifex Gregorius, ita disserens: *vehementer claudit oculum cordis amor privatus; hoc autem clauso, facilè in quodvis malum præcipites ferimur; cùm, quò ruamus, non agnoscamus.* (g) Unde fit, ut talis cæco impetu pergens, improvido pede in obvios quosvis offensionum lapides identidem incurrat, & sic innumerabilium culparum se reum constituat.

Hæc autem cæcitas mentis, quam præsens, de quo hìc agitur, morbus in animam inducit, Auctore Tertulliano, geminos effectus parit; 1. efficit, *ut talis non videat, quod est:* 2. *ut videat, quod non est.* Inprimis ergo

 ejus-

(f) Matth. 7. v. 17. & 18. (g) Lib. 3. Moral. c. 1. & Homil. 4. in Ezech.

ejusmodi suiipsius idololatra *non videt, quod est;* hoc est, non videt, suos errores, queis reipsa scatet: non agnoscit suas cupiditates, queis revera ardet: non distinguit suorum lapsuum gravitatem, copiam, & fœditatem, queis turpiter sordet; ipsa sua vitia esse virtutes reputat.

Ex altera verò parte *videt, quod non est;* dum seipsum sibimet longè alium esse depingit, quàm qualis est; dum sibi blanditur, se dotibus eminere, queis omnino destituitur: meritis præstare, queis penitus caret: habilitate & industria excellere, qua planè deficit. Verbô: non observat in se maculas, queis tamen fœdè squalet. Contrà verò cernit in se prærogativas, quarum nec umbram habet, & ob quas tamen varios honores & commoda sibi præ aliis deberi existimat; & hoc ideo, quia nempe *non videt, quod est;* & illusus *videt, quod non est.* Id quod exitialis suiipsius amoris effectus & signum est.

Proin

Proin si eadem animi cæcitate etiam tu labores; si te quoque deprehendas esse *sine affectione, sine pace, sine benignitate, protervum, incontinentem, tumidum, & voluptatum amatorem*, (h) aut aliis similibus noxis plenum, ne dubites, te quoque esse hominem sui amantem à Paulo descriptum, cui sanando non alia melior medicina applicari potest, ac illa sit, quam Christus in Evangelio præscripsit, dicendo: *qui amat animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam, in vitam æternam custodit eam;* (i) *qui* verò *non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* (l) Et hæc mentis cæcitas, quæ tot defectuum mater audit, amoris proprii filia, ejusque principalis index est.

2. Alterum latentis hujus mali indicium est intentionis depravatio, & distorta ejusdem ab ultimo fine aberratio ex nimia honoris & cuticulæ cura profluens. Cùm enim amor pro-

(h) 2. Tim. 3. v. 3. (i) Joan. 12. v. 25. (l) Luc. 14. v. 26.

prius carnis commoda & nominis excellentiam venatica ſagacitate in cunctis ſolicitè aucupetur; neceſſariò omnem intentionis puritatem, virtutis perfectionem, & charitatis florem vafrè deſtruit, peſſumdat, & corrumpit. Unde fit, ut, quemadmodum ille *draco magnus*, à Joanne in Apocalypſi deſcriptus, *ſua cauda tertiam partem ſtellarum cœli* poſt ſe in ruinam traxit; (m) ita quoque venenata hæc lues potiſſimam actionum noſtrarum & meritorum partem vitiet, perdat, & depravet.

Et quia cum Lucifero *ſimilis eſſe Altiſſimo* ambit (n) inanis hæc bulla & turgidum nihil; etiam ſe in omnibus mira dexteritate ac verſutia quærit, & pro ultimo operum fine conſtituit. Sicut enim *univerſa propter ſemetipſum operatur Dominus*, (o) ſuamque gloriam ac felicitatem in omnibus ſpectat; ita quoque hæc peſtis omnia propter ſe agit, ſuam exiſtimatio-

(m) Apoc. 14. v. 4. (n) Iſa. 14. v. 14. (o) Prov. 16. v. 4.

mationem & commoditatem ubique prenſando. Inſtar ſtatuæ illius aureæ, à Nabuchodonoſore in campis Babylonicis poſitæ, etiam hoc idolum ab omnibus cernuo poplite adorari cupit, erectâ ſibi in medio cordis arâ cum hac epigraphe: *modò mihi.* Appetentia excellentiæ, cura cuticulæ ſunt duo poli, circa quos omnis operationum moles ab hoc domeſtico Sinone circumvolvitur, & quò omnis ejus intentio dirigitur. Unde etiam ille ex his ſignis veluti ignis ex fumo facilè dignoſcitur. Nihilominus tamen cùm id non ſine multa arte & ſubdola vafricie exequi ſoleat, opus pariter eſt acuto prorſus & lynceo obtutu, ut flexuoſæ ejus fraudes detegantur.

Aliquas ſolummodo notas hìç obiter indicaſſe ſufficiat. Sic e. g. ſi aliquid boni agas, vel mali omittas publicè vel coram aliis, quod in occulto ſolus eſſes intermiſſurus, aut commiſſurus. ſi ad opera arbitraria promptiori alacritate te conferas quàm ad ordinaria, & à Præpoſitis præſcrip-

ta; vel si in his peragendis omnino tardus, difficilis, & ignavus sis. si de optato negotiorum successu singulariter læteris; de sinistro autem nimiùm tristeris, aut in iis perficiendis nimia solicitudine angi te, & turbari sinas. denique si solùm tunc imperatam actionem magna sedulitate obeas, quandò per eam sperandum quid ab homine, vel timendum imminet. secus verò ubi ejusmodi spes aut timor abest, si eam oscitanter solùm deproperes; nullus dubita, horum omnium amorem tuiipsius primum motorem esse. nam similia prædictam in animo hydram nidulari abunde probant.

Ut ergo intentio tua ab omni sinistro affectu defæcata, *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris* nunquam non rectà ad cœlum *ascendat per desertum* hujus mundi, (p) actionum tuarum principia & fines Sanctuarii pondere sæpius examina. Et ne vel sic vulpino astu circumveniaris, blando nimiùm ne crede colori: nihil non

(p) Cant. 3. v. 6.

non ſuſpectum habeas: in omnes etiam occultiſſimas cordis motiones argus eſto. Præcipuè verò illud B. Magdalenæ de Pazzis monitum tibi habeas commendatum, docentis: *duos eſſe oculos* (adeóque ſigna) *amoris proprii: alterum honoris reputationem, alterum carnis ſenſualitatem; qui ſi eruantur, amorem proprium*, nec non profluentem inde intentionis depravationem, quæ ejus indicium eſt, *haud multùm timendam eſſe.* (q) Proin *eſto mortificatus* (monet pius aſceta) *ac humilis, & in omnibus puram intentionem habebis; amoris inſuper proprii victor eris.*

3. Tertium ſymptoma, ex quo hic morbus detegitur, eſt diſſenſio arbitrii noſtri cum divino, creata à voluntate propria, quæ amoris proprii ſpuria ſoboles, adeóque & ejus index eſt. Nam hæc, ancillante appetitu, ſolùm illa vult, quæ perverſæ ſuiipſius affectioni blandiuntur. contrà verò illa horret, quæ eidem adverſantur; ac proin illud exitiale inſtrumentum

(q) 4. Parte vitæ c. 34.

eſt, quo pravus erga ſeipſum affectus præcipuè utitur, ut ſuis cupiditatibus velificet. Quod enim iſte ſuadet, illa appetit: quod diſſuadet, illa fugit: quod iſte deſiderat, per illam fieri imperat; quod verò omitti optat, per illam averruncari mandat; ita quidem, ut, ſicut iſte eſt omnium in orbe malorum ſuaſor & auctor, ita illa eorundem ſit patrator & actor.

Sic exempli gratia, vix dominans Lucifero ſui amor Altiſſimi thronum ambiit, mox voluntas propria claſſicum inſonuit. Vix ille in Progenitoribus ſimilis eſſe Diis cupiit, mox hæc vetitum ſibi pomum decerpſit. Vix ille Nabuchodonoſori eum Numen eſſe perſuaſit, mox iſta adorari voluit. Jubeat licèt DEUS: *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius;* (r) præcipiat licèt Chriſtus: *diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde;* (s) nihilominus, cùm cœleſtis hæc doctrina domeſticæ huic Sireni minimè arrideat, mox ei conſentiens

(r) Gen. 4. v. 7. (s) Matth. 11. v. 29.

tiens voluntas propria, jugi impatiens, proterva recalcitrat. Exinde patet, voluntatem propriam amori proprio fidelem in omnibus miniſtram, adjutricem, & ſociam, verbô: mali corvi malum ovum, adeóque & ſignum eſſe, unde ille indubiè cognoſcitur.

Quantopere autem ea divinæ repugnet, quantáque petulantia eandem oppugnet, inde manifeſtum eſt, quòd *tanquam pullum onagri liberum ſe natum putans*, (t) cum obſtinato Pharaone ſuperba etiam ipſa percontetur: *quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus? neſcio Dominum;* (u) *ego ſub nullius redigar poteſtate:* (x) *non ſerviam.* (y) Quid ergo mirum, quòd irritata Numinis juſtitia, & *omnem fortium armaturam* induta, (z) *acuat duram iram in lanceam*, (aa) & in ſolum hunc hoſtem omnem furoris ſui nimbum exoneret; quòd ſolum hoc vitium caſtiget, & damnet? ſolum dico; nam, cùm

(t) Job. 11. v. 12. (u) Exod. 5. v. 2. (x) 1. Cor. 6. v. 12. (y) Jerm. 2. v. 20. (z) Cant. 4. v. 4. (aa) Sap. 5. v. 21.

cùm vindex ſcelerum DEUS rebelles angelos è cœlo *rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos;* (bb) cùm temporibus Noë, *pluens quadraginta diebus & quadraginta noctibus ſuper terram, delevit omnem ſubſtantiam ab homine uſque ad pecus;* (cc) cùm denique *currus Pharaonis cum exercitu ejus projecit in mare,* (dd) ejusque juſſu *aperiens terra os ſuum deglutiît Dathan & Abiron;* (ee) cùm, inquam, ultricia hæc furoris ſui monumenta poneret irata Themis, quid aliud *puniît*, quærit Bernardus, *præter voluntatem propriam?* Ceſſet voluntas propria peccare, & plectere ceſſabit DEus. Imò (pergit Mellifluus,) *ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæviet, niſi in propriam voluntatem? Etiam nunc cùm frigus aut famem, aut aliquid aliud patimur, quid læditur niſi voluntas propria?* (ff)

Hæc

(bb) 2. Petr. 2. v. 4. (cc) Gen. 7. v. 4. & 23. (dd) Exod. 15. v. 4. (ee) Num. 16. v. 30. (ff) Bernard. Serm. 3. de Aſcens. Dom.

Hæc ergo cùm princeps & unicus ſpiculorum divinæ Nemeſis ſcopus ſit, eidem eam ſummo pariter odio eſſe, conſequens eſt. Quàm perniciosum autem idem hoc monſtrum homini ſit, inde concluditur, quòd eum omni ſpoliet merito, & noxia metamorphoſi ipſum aurum in plumbum, ipſum bonum in malum vertat; uti teſtatur Abbas Claravallenſis, ita te alloquens: *grande malum propria voluntas eſt, qua fit, ut bona tua tibi bona non ſint.* (gg)

Magno igitur hujus horrore concepto, diligenter inquire, an hæc bellua non etiam intra tuæ mentis penetralia ſtabuletur? Vide, an non etiam *in die jejunii tui inveniatur voluntas tua?* (hh) Nam effrons hoc monſtrum vulpina ſimulatione in ipſum etiam Sanctuarium irrepere furtivo pede non veretur. Diſpice, an non etiam tu in tuo ſenſu nimiùm abundes, tuoque judicio tenaciùs adhæreas? num ſecundùm pii Aſcetæ monitum potiùs alienam quàm tuam ſequi

(gg) Serm. 72. in Sanct. (hh) Iſa. 58. v. 3.

qui ſtudeas opinionem ? Perpende, quàm integrè, promptè & cæcè Præpoſitis obedias ? an non etiam tu obmurmuranti propriæ voluntati pronas nimiùm aures præbeas ?

Certè ſi illam intimiùs noſſes, tanto affectu ei minimè adhæreres. nam *voluntas noſtra, in primi hominis prævaricatione vitiata*, (ait S. Proſper) *vaga eſt, incerta, imperita; infirma ad agendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, in curis anxia, ſuſpicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutis cupidior, famæ quàm ſcientiæ ſtudioſior.* (ii) Et hanc adeò miſeram, rebellem, & vitioſam voluntatem amato Numini victimam conſecrare tu renuas ? tibiqúe grave accidat, illam velut anathéma affigere pedi illius crucis, in qua DEUS-Homo amore tui, abjurata voluntate ſua, *eſt factus obediens uſque ad mortem?* (ll)

Tantum à te abſit probrum. illa Chriſti verba: *Pater non mea, ſed tua vo-*

(ii) Lib. 1. de vocat. gentium. (ll) Phil. 2. v. 8.

voluntas fiat; (mm) item illa: *qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est*; (nn) hæc, inquam, verba tibi stimulo sint, ut & tu illis laudatis ab Augustino beatis annumerari satagas, *qui voluntatem suam ad voluntatem DEI dirigunt, & ad voluntatem divinam, non ad suam incurvare conantur.* (oo) Morem gere monenti Bernardo, *ac fuge sanguisugam hanc, & omnia reliquisti; hæc enim omnia trahit ad se: pone hanc, & jugum quàm multiplex abjecisti.* (pp) Sic enim à tertia amoris proprii nota, seu à dissensione voluntatis propriæ cum divina immunis eris.

4. Quartum denique hujus mali indicium in enervi quodam ad bonum languore consistit, proveniente ab horrore difficultatum in via virtutis superandarum. Nam *abstine*, & *sustine*: abstine ab iis, quæ sensibus sunt grata; sustine ea, quæ eisdem sunt ingrata, geminæ sunt tesseræ in pugna spiri-

(mm) Luc. 22. v. 42. (nn) Matth. 12. v. 50. (oo) in Enchirid. (pp) Serm. 71. in Cant.

ſpiritali uſitatæ. Item *agere*, & *pati:* agere bona, & pati mala, geminum ſunt ſcutum genuini militis Chriſti. *Vince teipſum: renuncia omnibus: tolle crucem tuam*, diſcipulorum æternæ Veritatis vulgare idioma eſt.

Porro iſtud omne amori proprio immitte quid, barbarum ac crudele, arduum nimis & impoſſibile videtur. Per iſta ſecurim radici, ferrum gulæ admoveri, internecinam ſibi cladem parari ſentit, & videt. Hinc pallet, trepidat, horret; & hanc ſui refrænationem naturaliter faſtidiens, lethali languore decumbit. Et ſi etiam ſubin voluntas, gratiæ motu impulſa, ſanctitudinis ſemitam inire paret, mox ille fremens exclamat: *leo eſt in via, & leæna in itineribus;* (qq) quo pannico terrore ſenſus omnes replet, & reliquas cordis motiones ad rebellandum commovet. Ut proin Delphica tripode minimè indigeamus, quæ nobis morbi hujus cauſam prodat. Nempe ille afflictationum ſui & abjectionum

(qq) Prov. 26. v. 13.

num horror, illa piarum exercitationum nauſea, & in rebus arduis torpor, genimina illius viperæ ſunt, cui amor proprius à ſanctis Patribus aſſimilatur; utpote ex quibus indubitatò colligitur, illum velut anguem hac ſub herba latere.

Jam autem præſentiſſimum huic malo remedium eſt, ut quicunque illo laboras, generoſum concipias propoſitum, perenni hunc hoſtem bello laceſſendi, & ringente eo, ad perfectionis culmen eluctandi, memor illius effati Thomæ à Kempis: *tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.* (rr) Nam, quidquid obtendat fallax & mendax tui amor, ſolida virtus *non ſupra te eſt, neque procul poſita, ut cauſeris, & dicas: quis ex nobis poterit transfretare mare? ſed juxta te eſt ſermo valde;* (ss) totum in tua ſitum eſt poteſtate; tempus adeſt, occaſio favet, gratia urget. Solùm ſupereſt, ut *manum aratro* animoſè *admoveas;* nec poſthac *reſpiciens retro* à cœpto deſiſtas,

(rr) De imit. l. 1, c. 25. (ss) Deut. 30. v. 12.

ſtas, (tt) amoris proprii lenociniis pellectus; cujus hic ipſe enervis ad bonum languor evidens indicium foret.

5. Cæterùm quamvis quatuor illa hactenus aſſignata familiaris hujus mali ſigna ejus generis ſint, ut ex illis hæc mephitis facili negotio olfieri, ac dignoſci queat; nihilominus tamen plures adhuc alios æquè noxios producit effectus, ex quibus ejusdem naturam nocendiqúe vim acutiùs diſcernas, licet. Illius enim indoles eſt, non ſolùm ſemetipſum amare, ſed ſe ſolum amare; & quidem ſine ullo fine & modo amare: omnia ſibi honorum, bonorum & voluptatum genera cupere; eaque ſibi uni & propter ſeipſum cupere: ſeipſum rerum quarumcunque centrum ſtatuere: omnia ad ſe unum veluti ad quoddam cordis Numen referre: inſtar ignis omnia in ſeipſum convertere: inſtar aëris ubivis ſe intrudere: omnibus & in omnibus dominari velle.

Cùm

(tt) Luc. 9. v. 62.

Cùm verò amor proprius quamprimum ac ſe prodit, mox in aliis noſtrî odium creet, (tantum enim alii eundem in nobis perhorreſcunt, & averſantur; quantum nos illum in nobis tutamur, & fovemus) adeóque cùm verſipellis probè intelligat, nihil eorum, quæ affectat, ſe conſecuturum, ſi deprehenſus, quis ſit, agnoſcatur; hinc ſeipſum ſibi negans, nunquam vult eſſe, qui eſt; ſemper alium à ſeipſo diverſum ſe eſſe mentitur. ipſum ſi audias, nihil minùs quàm amor proprius eſt.

Et ideo, ut tutiùs lateat, virtutis larvam induit, vitio probitatis pallium circumdat, rectique colorem illinit. Illa levitas eidem urbanitas eſt: illa averſio juſta correctio: ille excellendi appetitus divinæ gloriæ zelus eſt: illa gubernandi cupiditas boni publici ſtudium: triſtior ille genius ſolitudinis amor: ille adulandi, & inſerviendi cacoëthes prudens futurorum providentia, debita aliis reverentia eſt. Verbô: ipſa iniquitas hoc judice æquitas

eſt. Et tamen, fucum ſi abſterſeris, merus amor proprius eſt. Nempe ſcitus is veneficus eſt, qui varias rebus formas indere novit, efficereque, ut nobis prorſus aliæ ab his, quàm verè ſunt, videantur.

Difficilè quis mente aſſequetur, quousque hujus viperæ calliditas progrediatur; licèt enim verſatilis hic Protheus malorum omnium auctor ſit, tamen nunquam reus eſt; mille, queis ſe purget, modos habet: mille, quibus ſe inſinuet, artes callet. Ejus fraudes non minùs tectæ quàm juges ſunt: ejus aſtutiæ & metamorphoſes nec deſcribi, nec concipi poſſunt: abyſſorum ejus tenebræ, receptus & cryptæ penetrari nequeunt: inviæ ſunt viæ illius: unum ejus cuniculum ſi evertas, mox tres alios agit. Conſervatio virium, valetudo corporis, gloria DEI, bonus famæ odor ordinarius ei clypeus ſunt, quo inſtinctus divinos promptè retundit. Non tot vermiculis putridum cadaver ſcatet, quot machinis, obtentibus, & tech-

technis vafer hic Sinon affluit, & abundat.

Imò ipſas etiam gratiæ operationes adeò callidè imitatur, ut ea nos moveri fingat, quando vel maximè ab hoc ſycophanta circumducimur. Nec hoc contentus, plerasque inſuper virtutes commentitias ille & evanidas reddit, vilem cum iis mercaturam exercendo; dum nempe illis plerumque vel gloriæ fucum, vel ſenſûs guſtum nundinatur; aut illis etiam rebus pietatis nomen attribuit, quæ non niſi temperamenti affectuumque effectus ſunt. Quin ipſa ſubinde incitamenta ſectandæ perfectionis à ſociis non rarò vitiis mutuatur. Sic quando gulam, avaritiem, luxuriam debellare conſtituit, ex ſuperbiæ pharetra tela depromit; dum hæc omnia non niſi ex appetitu excellentiæ facit, ne fors ob ejusmodi defectus ab aliis vilipendatur.

Præcipuè verò charitati divinæ perpetuum infert bellum, & ejus omnes

conatus aperta vi eludere tentat. Hæc enim hominem à ſeipſo divellere, & DEO conjungere ſatagit; *quia non venit pacem dare in terram, ſed ſeparationem.* (uu) Contrà verò amor proprius, rationibus omnino oppoſitis, hominem à DEO divellere, ac illum ſibi rebusque creatis conjungere allaborat.

Quid? quòd inſuper hæc peſtis ferox ille antagoniſta ſit, qui Chriſtianismum majori cum ſucceſſu impugnat, ejusque fundamenta convellit, utpote quæ principaliter in ſancto ſui odio conſiſtunt; ita ut Chriſtus ipſe profiteatur, illum à ſe diſcipulorum ſuorum albo minimè inſertum iri, qui amorem proprium in ſanctum ſui odium non converterit.

Accedit, quòd non ſolùm bonus Chriſti aſſecla nunquam futurus ſit ille, qui immodicè ſe diligit; ſed quòd neque vir bonus ſecundùm Politicæ & Ethicæ leges, bonusque civis eſſe poſſit.

(uu) Luc. 12. v. 51.

possit. Nam ad hanc qualitatem laudemque promerendam justitia præditum esse necessariò oportet; hæc autem virtus, hoc ipso quòd suum cuique tribuat, cum hac proprietaria affectione subsistere nequaquam potest. Nam jus fasque à bono viro postulat, ut nunquam agat, quod alterum jure offendat; nec sibi commodare cum alterius molestia studeat. à bono autem cive exigit, ut publicam domesticæ præferat utilitati.

At verò intestinus hic cyclops omnes has leges sus deque vertit. Num sua actione incommodet alteri, obsitque bono proximi? num prosit, nocéatve? placeat, aut displiceat? id ei curarum ultima est. Nullam reipublicæ, nullam sociorum rationem habet, sed solummodo sui: suæ tantùm gloriæ & voluptati rusticus hic monopola servit; ita ut de illo dici queat, quod ille judex nequam de seipso fassus est: *DEUM non timeo, & hominem non revereor:* (xx) sit aliis malè,

(xx) Luc. 18. v. 2.

modò mihi ſit bene: viderint ipſi: ſolùm me ego meaque curo. Ex quibus patet, amoris proprii mancipium nec DEI cultorem, nec Chriſti aſſeclam, nec bonum civem probumque hominem eſſe poſſe, ac nullum præ eo hoſtem noſtræ ſaluti acriùs adverſari;

Imò nec univerſaliùs. Nam is in omnibus vitæ ſtatibus, conditionibus, & ætatibus reperitur: ubique vivit, & ex omnibus etiam ex nihilo vivit: ac ubi vincitur, atque jam deletus exiſtimatur, in ipſo cædis ſuæ triumpho invenitur. Nunquam ſeneſcit: cum annis regni ſui invaleſcit auctoritas: adoleſcentibus non ſine quodam impetu: ſenibus etiam cum ſpecie quadam tyrannidis imperat. Ipſi quoque Sancti ſub legum ejus ſæviſſimo gemunt jugo, & contra inimicum viribus adeò ferocem mortis invocant opem. Cúmque non ignorent, animam quamdiu in oſſeo corporis ergaſtulo incluſa degit, eodem liberari haud poſſe, inde quamprimum egredi perennibus votis optant.

Cùm

Cùm ergo (ùt ex dictis liquet) hoc, de quo agimus, monſtrum matrix Lerna, ac lutulentus ille fons ſit, ex quo torrentis inſtar omnia vitia pleno gurgite profluunt; cùm rebellium cupiditatum dux & anima ſit, quas contra DEI, Chriſti, & Ethicæ leges volantibus ſignis in aciem educit; cùm gratiæ excidium, virtutum ſtrages, & meritorum tumulus ſit; ac fraudulento aſtu in omnia ubique ſe intrudendo, ſanctiſſimis etiam actionibus peſtilens virus afflet; hæc, inquam, cùm ita ſint, an amplius quid requiri dices, ut adverſùs internecinum hunc hoſtem odium concipias, in omnem vitam duraturum?

Quid enim? ergóne illum tu inimicum odiſſe non poſſis, quo infeſtiorem non habes, nec ſæviorem? qui aſſentando te vulnerat, oſculando venenat, jugulatque amplectendo? O excæcate! illum tu proditorem odiſſe non poſſis, qui licèt tecum individuus comes ſemper gradiatur, comedat, & lateri junctus dormiat; tamen cum

carne, mundo & ſtyge colludendo, tam perfidè identidem te prodit? Age, ô infelix! tu odiſſe non poſſis latronem illum, qui toties te gratia ſpoliavit? tyrannum illum, qui toties te dœmoni mancipavit? parricidam illum, qui ſuis te blanditiis induxit, ut Chriſtum fratrem tuum denuo cruci affigeres? ut DEUM Patrem tuum tot vulneribus quot peccatis cruentares? hunc, edic, tu latronem, tyrannum, & parricidam odiſſe non poſſis?

O *terra, terra, terra! audi ſermonem Domini!* (yy) O homo! qui de terra fragiliique argilla fictus, ultimi tui finis oblitus, domeſtico huic idolo abjectam ſervitutem ſervis, *audi ſermonem Domini*, tibi inclamantis: *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum:* (zz) *qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam:* (aaa) *qui non odit animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* (bbb) Sententia lata eſt: *nemo poteſt*

(yy) Jerem. 22. v. 29. (zz) Luc. 9. v. 23.
(aaa) Matth. 16. v. 25. (bbb) Luc. 14. v. 26.

poteſt duobus dominis ſervire. (ccc) Chriſto & Belial, gratiæ & naturæ, amori proprio & divino junctim ſervire nemo poteſt. Itaque alterutri renunciandum eſt. Aut tibi aut illi pereundum eſt. Niſi tu eum exſcindas, exſcindet ille, & perdet te. Proin alterutrum neceſſarium eſt: vel clades tua aut illius: vel internecio tua aut illius. Hæc vera eſſe agnoſcis, & adhuc deliberas, quid conſilii capias?

O Superi! ſcimus, per amorem proprium nos ſumma quæque mala incurrere; credimus, per eum maximam nos & optimam gratiarum partem amittere; & quando etiam alicui piæ motioni conſentimus, experimur, eum mox aliquid inanis gloriæ aut oblectationis operi inſpergere; ſicque eum meliores noſtras actiones inficere, plerasque virtutes ſubdolum corrumpere; hæc, inquam, ſcimus, vera eſſe fatemur, imò & dolemus. Et tamen tantum abeſt, ut immanem hunc hoſtem merito odio proſequamur, ut etiam

(ccc) Matth. 6. v. 4.

etiam perfidum foveamus. Nempe fascinavit nos cæcus nostrî amor.

At tandem saniora statuamus; & pias in iras excandescendo, illis Bernardi verbis mortis in eum sententiam feramus: *exurgat DEUS, pereat caro, cadat, & conteratur inimicus homo, contemptor DEI, amator sui, amicus mundi, servus diaboli; reus est mortis: crucifigatur.* Et ne denuo reviviscat, ejus tumulo abnegationem sui continuum custodem addamus, quæ nutriendis hujus odii flammis perenne oleum affundat. Secus actum est, de perfectione obtinenda, quam tamen amor divinus adeò potenter suadet, totque titulis *exigit*, & *meretur* DEUS.

CAP. V.

CAPUT V.

DE FELICITATE SOLIDE PIORUM POST MORTEM.

HUjus Partis Capite tertio ob oculos posui hominum perfectioni deditorum tranquillitatem, qua illi gaudent *in hac vita*; uti & illorum beatitatem, qua *sub mortem* fruuntur. Ulteriùs jam gradum promovendo, præsenti commentatione adumbrare constitui solidè piorum felicitatem, qua ii beantur *post mortem*; ut postquam hactenus Lectorem fide & timore, spe & charitate ad sanctimoniæ studium incitavi, eundem quoque desiderio sperandæ in cœlo gloriæ ad eandem sectandam animem, impellamque. Quàm efficax autem id acquirendæ sanctitudinis incitamentum sit, Hieronymus

nymus explanat, dum ait, *omne opus leve fieri, quando ejus præmium cogitatur; & spem mercedis solatium esse, imò & stimulum laboris.* (a) Porro ex duplici potissimùm capite beatorum sors eminens adeò & inexplicabilis erit, nempe I. ob beatitatis, qua constat, plenitudinem: II. ob æternitatis, qua durat, certitudinem.

§. I.

De beatitatis Sanctorum plenitudine.

I. *De Sanctorum eminenti beatitate.*

I. VOs igitur ô angelicæ Mentes! à beatitudinis illius plenitudine initium facturo vestra mihi sensa, vestrosque ardores prompti mutuate, ut, cùm dignè non possim, saltem minùs imperitè loquar de æthereis sedibus, quarum adumbrationem vel ipse raptus illuc Paulus omnem intellectûs vim superare fatetur, & de quibus rite depingendis ipse ingeniorum phœnix Augustinus desperavit, dum scripsit:

(a) Epist. ad Demetriad.

ſcripſit: *omnem ſermonem, atque omnem ſenſum humanæ mentis excedere decus illud, illam pulchritudinem, illam gloriam, illámque magnificentiam ac majeſtatem.* (b) Ita quidem ut ex Ejus ſententia *faciliùs ſit dicere, quid ibi non ſit, quàm quid ſit.* (c)

Conati ſunt quidem S. S. Patres ſub vario ſchemate mortalium oculis paradiſum proponere, ut ſaltem aliquam de eo, licèt diſtortam, nobis ideam ingenerarent. Sic magnificum illud celeberrimumque convivium, quod ſuis Optimatibus olim inſtruxerat Aſſuerus Rex, *ut oſtenderet divitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ*, (d) Chryſoſtomo videbatur eſſe cœlorum figura non adeò inepta; cùm in ſacris quoque Paginis beatitudo cœleſtis ſub regalis convivii ſymbolo ſæpius exhibeatur.

Nihilominus tamen omnis illa terreſtris granditas & deliciarum abundan-

(b) Serm. 37. de Sanctis. (c) Aug. l. 3. de Symbolo. (d) Eſth. 1. v. 4.

dantia, quæ tunc temporis in Persica Medorum aula regnabat, nec umbra est illius *cœnæ magnæ*, (e) quam suis super astra Sanctis apparabit Universi Monarcha, utpote ubi *ipse præcinget se*, (ô mira dignatio!) ipse.... non Seraphinorum aliquis aut Principatuum, sed *ipse* orbis Moderator instar mediastini *præcinget se*, *& faciet illos discumbere* in aureis sedibus ac thronis, *ut amodo quiescant à laboribus suis*; (f) insuper *transiens ministrabit illis*, (g) sua omni providentia impensè curans, ne quid eis ad prosperitatem desit.

Æquiorem adhuc & ad rem proximiùs accedentem illius felicitatis effigiem Numinis ductu S. Joannes in sua Apocalypsi delineatam reliquit; cùm eandem nobis sub imagine civitatis sanctæ contemplandam proponit. Ut enim ille locupletissimam cœlestis illius Solymæ graphidem vivis coloribus ob oculos poneret, in cumulum congessit, quidquid in orbe pretiosum

(e) Luc. 14. v. 16. (f) Apoc. 14. v. 13. (g) Luc. 12. v. 37.

ſum ſublime ac præſtans reperitur; & quidquid excellens naturæ æmula ars, vel cogitatio ex ingenii promptuario adjicere poteſt.

Nam inprimis *erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas erat aurum mundum ſimile vitro mundo. Fundamenta autem muri civitatis* ex Smaragdis & ſapphiris condita, *omnique lapide pretioſo ornata erant. Duodecim portæ erant duodecim margaritæ, & platea civitatis aurum mundiſſimum tanquam vitrum pellucidum. Fluvius aquæ vitæ ſplendidus tanquam cryſtallus, procedens de ſede DEI & agni*, fluebat *in medio plateæ ejus; & ex utraque parte fluminis* conſitæ virebant *duodecim arbores, per menſes ſingulos reddentes fructum ſuum.* Præterea *ipſa claritas DEI* omni ſole micantior continuò *illuminabat civitatem*, (nox enim non erat ibi) totque divitiarum theſauros perenni meridie illuſtrabat. (h) Talis erat beatæ illius urbis forma.

(h) Apoc. 21. v. 18. & cap. 22. v. 1. & 2.

Verùm hæc omnia utut graphicè depicta, tamen non nisi mortua veri simulacra, & rustica solummodo rerum imitamina sunt, à veritate plurimùm aberrantia, queis S. Vates ideo solùm usus est, ut sese ad intellectûs nostri hebetem captum accommodaret. Nihil enim ejusmodi in illo gloriæ palatio reperitur; sed omnia ibidem multò pulchriora, præstantiora, magisque magnifica sunt; & talia, *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.* (i) Fulgidissimæ illæ ideæ, quas SS. Patres de paradisi pulchritudine nobis adstruunt, obscuræ sunt atque humiles, si conferantur cum eo, quod ille reipsa est, scilicet cum perfectissimo opere Bonitatis divinæ, in quo illa omnes potentiæ suæ ac sapientiæ opes prodiga exhausit.

Adeóque sicuti DEUS est Ens incomprehensum, excedens omnem intelligentiam creatam, quod nec animo intelligi, nec verbis definiri potest;

(i) 1. Cor. 2. v. 9.

teſt; ſic etiam ſpecies minùs imperfecta, quam nobis de Cœlitum patria formare poſſumus, eſt, quòd ſit quid æquè incomprehenſum, æquè inexplicabile ac ipſe DEUS. Itaque ſicut auctore Dionyſio Supremum illud Numen *neque eſt hoc, neque eſt illud, ſed eſt omnia;* ita quoque cœlum nec eſt hoc, quod dicitur eſſe, neque eſt illud, quod nobis fingimus eſſe; *ſed omnia;* ſed eſt quid longè dulcius, longè excellentius, & melius.

Vera proin eſt Aurelii ſententia, dicentis: *quod DEUS parat diligentibus ſe, fide non comprehenditur, ſpe non attingitur, charitate non capitur, deſideria & vota transgreditur; optari poteſt, acquiri poteſt; æſtimari, deſcribi non poteſt.* (1) Nec mirum; gaudia enim illa ex una parte infinita cùm ſint; ex altera verò parte cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio, conſequens eſt, humanæ mentis anguſtias illius maris immenſitatem capere haud poſſe. Hoc ipſum tamen luculenta probatio eſt,

 hanc,

(1) Auguſtinus Serm. 253. de Sanctis.

hanc, de qua agimus, Electorum beatitatem summam omnino, eminentem ac divinam esse, hoc ipso quòd incomprehensa ea & inexplicabilis sit.

Infinitam autem (ùt antea dixi) Justorum felicitatem esse, constat tum ex *infinitate malorum*, quæ excludit; tum ex *infinitudine bonorum*, quæ includit. Mala, quæ hominem possunt affligere, sunt & numero & perpetuitate infinita; *numero* quidem, quia plures semper & plures ærumnæ inexhausta serie saltem ab intellectu angelico excogitari valent; *perpetuitate* autem, quia iis æternùm cruciari saltem in tartaro possumus. Jam autem ab his omnibus immensa intercapedine Cœlites liberat illa beatæ sortis conditio.

Nam authore Augustino *non erit ibi mors, non lassitudo, non infirmitas, non fames: nulla ibi erit sitis nec æstus, nulla corruptio nec indignatio, nulla tristitia nec invidia.* (m) Teste Joanne ibi *neque luctus, neque clamor erit; sed abster-*

(m) Lib. 3. de Symbolo.

absterget DEUS omnem lacrimam ab oculis eorum. (n) Secundùm Isaiam *fugiet dolor & gemitus ab eis.* (o) Nulla ibi erit perturbatio in voluntate, nulla repugnantia in appetitu, inquietatio nulla in imaginatione, nullus in intellectu tumultus, nulla denique in externis sensibus vexatio erit. Ratio in promptu est; nam nulla ibi existet carnem inter & spiritum pugna, nulla arbitrii nostri à ratione dissensio, nulla cupiditatum rebellio. Verbô: inde exulabit omne peccatum, quod cunctarum in orbe calamitatum infelix eluvies est; & hinc etiam ibi miseriarum nihil reperietur. Adeóque beatitas illa erit infinita ob *infinitatem malorum*, quæ excludit; non minùs ac ob *infinitudinem bonorum*, quæ includit.

Nam (ùt ex Boëtio docet Aquinas) sempiterna felicitas *est status omnium bonorum aggregatione perfectus;* (p) ubi teste Hypponensi Præsule *beata*

(n) Apoc. 21. v. 4. (o) Isa. 51. v. 11.
(p) 1. 2. Q. 3. & 81.

ta mens possidet, quidquid cupit, nihilque nisi bonum cupit. (q) Hoc ipso enim quòd DEUM habeat, qui infinitè bonus in se & infinitorum simul bonorum fons est, hoc ipso, inquam, infinitatem bonorum dominanti beatitudine possidet. Quod profectò eminentiam illius gloriæ luculenter demonstrat; cùm non solùm incomprehensa ea, sed etiam infinita sit ob infinitudinem scilicet tum malorum, quæ excludit; tum bonorum, quæ includit.

Gaudete proin, & exultate, quicunque virtutis solidæ studiosi vivitis; nam recto tramite ad cœli atria tenditis, optata hac gaudiorum immensitate beandi. *O cœlestis Jerusalem!* (etiam vos cum illis terrestribus Seraphinis suspirare potestis) *ô civitas sancta DEI! te amat cor meum! pulchritudinem tuam nimiùm desiderat mens mea!* (r) *O utinam illis Angelorum choris jam interessem! utinam cùm beatissimis Spiritibus*

(q) L. 3. de Trinit. c. 4. (r) Aug. in Soliloquiis.

ritibus illis throno Conditoris jam assisterem! (s) *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* (t) *O! quis mihi dabit pennas sicut columbæ? & volabo, & quiescam.* (u)

II. Porro quàm plena insuper hæc beatitudo sit futura, ipse Christus declarat, dicens; *mensuram bonam, & confertam, & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* (a) Erit quidem cœleste hoc præmium meritis nostris (ùt vulgariter loquar) commensuratum & conforme; nihilominus tamen erit *mensura bona*, imò *conferta & coagitata*, quin omnino *supereffluens* erit. Nam (ùt ait Abbas Claravallensis) erit *mensura sine mensura*, & talis, quæ non solùm laboribus Electorum & desideriis respondebit; sed quæ præterea munificam illam immensæ benignitatis infinitionem adæquabit.

II. *De hujus beatitatis perfecta plenitudine.*

(s) Greg. M. hom. 37. in Evang. (t) Psal. 119. v. 5. (u) Psal. 54. v. 7. (a) Luc. 6. v. 38.

Quippe DEUS *erit rationi plenitudo lucis:* (prosequitur Bernardus) *voluntati plenitudo pacis:* memoriæ plenitudo consolationis. *Primum faciet Veritas DEUS: secundum Charitas DEUS:* tertium Providentia DEUS. (b) Ex hoc autem triplici *lucis*, *pacis*, & *consolationis plenitudine* necessariò profluet illa, de qua hìc agimus, *plenitudo beatitatis*, in qua felicitas sanctorum post mortem consistit in cœlis; utpote ubi anima quoad omnes suas facultates perfectè est saturanda secundùm illud Davidis: *satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* (c)

1. Et inprimis ad plenitudinem consolationis quod attinet, qua *Providentia DEUS memoriam* Beati explebit, is læta sorte totus quantus *intrabit in ipsas potentias Domini*, & ita immergetur in abyssum Divinitatis ejus, *ut memoretur illius justitiæ solius.* (d) Nam sacrosanctam Trinitatem sibi semper summa cum luce præsentem habens,

(b) Serm. 11. in Cant. (c) Psal. 16. v. 15. (d) Psal. 70. v. 16.

bens, grata recordatione reminiſcetur illam ſeriem gratiarum, quibus æterna Bonitas eum prævertit; mente recolet illum ordinem ſalutis, variosque caſus, per quos eum DEI Providentia tam mirabiliter deduxit; ejus animo obverſabuntur tentationes, pericula & lapſus, ex quibus ſuprema Sapientia occaſionem ſumpſit, eum in virtutis ſemitam revocandi.

Quàm puro autem exinde ſolatio ejusmodi Cœlicola ſit afficiendus, quis erit ſat explicando? Si enim Patriarcha Joſeph adeò ſuavi ſolamine perfuſus fuit, quando, acta repetens tempora, recordabatur, ſe per fratrum invidiam, per Putipharis calumniam, & carceris ſqualores ad regiam dignitatem evectum fuiſſe; quanto ſolidiori gaudio diffluet anima ſancta, dum cernet, ſe per iſtos dolores, per illas ærumnas, per hanc pauperiem miſeriamque ad ſummas delicias, gloriam & divitias provido ductu, nil tale opinantem, perveniſſe; dum læto lumine de cœlis deſpiciet illos tot nau-

fragiis infames ſcopulos, ſcyllas & charybdes, quas horrendas inter procellas in æſtuoſo hoc mundi pelago felici ſidere præternavigavit.

O! quali voluptate vel ſola hæc cogitatio eam replebit: ah! potuiſſem & ego damnari! potuiſſem excidere hac felicitate mea! ô quantum illo anno, illo in loco, in illa ſocietate ſalutis diſcrimen adivi! ah! ſi, illi illecebræ cedendo, tepori indormiiſſem; ſi, illi illuſtrationi reſiſtendo, virtutem ſolidam neglexiſſem; ſi, in illo ſtatu (vah! horreo meminiſſe) mortis falce ſucciſus, ſubitò exſpiraſſem, heu! periiſſem; cœlo æternùm extorris modò *habitarem cum igne devorante, cum ardoribus ſempiternis.* (e) At (qui DEI favor eſt) reſtiti, vici, beata evaſi, nunc felix ſum, eróque æternùm. O beatitudo! . . . Quis profluentis inde gaudii plenitudinem declarabit? O Domine! quid ergo mirum, quòd Cœlites recogitando, quàm fidelis & bonus cum ipſis per vitæ curſum fueris, teſte

(e) Iſa. 33. v. 14.

teste regio Vate *memoriam abundantiæ suavitatis tuæ* grati *eructent?* (f)

2. Præterea ob *plenitudinem lucis*, quam infundet *Veritas DEUS*, non minor erit felicitas *intellectûs*. Hic enim non jam eminus *per speculum in ænigmate*, sed cominus *facie ad faciem* (g) totam illam divinæ Naturæ perfectissimam formositatem perspicacissimo aspectu intuebitur. Mysterium S. S. Trinitatis omnemque perfectionum ejus incomprehensam immensitatem acutissima mentis acie discernet; & thesaurorum in Christo latentium infinitudinem, utì & omnia etiam intima Numinis arcana, diducto quasi velo, lucidissima claritate introspiciet. Nam (ùt docet sanctus Venetorum Patriarcha) *anima beata DEI Verbo fœcunda, eique clara visione inhærens, cuncta DEI secreta uno cognoscet intuitu. Videbit DEUM in seipso & DEUM in se, & se in DEO. Videbit omnes creaturas in DEO & DEUM in creaturis; atque*

(f) Psal. 144. v. 7. (g) 1. Cor. 13. v. 12.

atque inde luce ineffabili ac lætifica oculus mentis totus erit circumfusus. (h)

O! quis gustus, quæ voluptas hæc erit? quanta ex hac plenitudine lucis dulcedo scaturiet? præcipuè cùm infinita Divinitatis pulchritudo tanta sit, ut si aperto vel ad momentum cœlo, ea damnatis solùm instar fulguris intuenda præberetur, mox omnes orci spiritus ab incredibili illo, quo Creatorem aversantur, odio puncto temporis in summum illius amorem dulci violentia raptum irent. Et hinc miseri illi libenter plures sine fine gehennas passuri essent, si vel unico instanti illam intueri daretur. Imò ipsi etiam Beati mallent millies duplicatas tartari pœnas sustinere, quàm vel unico oculi nictu ab ejus aspectu cessare. Nempe adeò pulchra, excellens ac formosa supremæ illius Majestatis amabilitas est. Et en, ô anima! hujus tam immensæ pulchritudinis, hujus interminatæ formositatis clarissima cognitio ac perspicacissima visio erit *pars hæredi-*

(h) S. Laur. Justin. Tract. de charit.

hæreditatis tuæ, (i) qua æternùm beaberis.

Eja igitur, ô nati cœlis animi! prævia in jubila læti erumpamus; (nam lætandi ratio abundantissima est) *quoniam ibi videbimus DEUM, sicuti est.* (l) Hujus asserti ipsum Joannem auctorem nobis vademque habemus. *Audite* proin *omnes, qui timetis DEUM,* (m) & magnas in spes assurgite! en! illam Potentiæ, Fidelitatis, & Sapientiæ immensitatem *videbimus, sicuti est;* illam Justitiæ, Bonitatis, & Misericordiæ infinitatem *videbimus, sicuti est;* illam Immutabilitatem, Providentiam, Æternitatem *videbimus, sicuti est;* & in ea videbimus omnia. *Quid enim non videbunt,* quærit Gregorius, *qui Videntem omnia vident?* (n) eaque videbimus *perfectissimè;* nam ibi teste Hypponensi Antistite *in nobis erit rerum omnium scientia sine errore vel labore; quia DEI Sapientia de ipso suo fonte potabimur.* (o)

O igi-

(i) Psal. 15. v. 5. (l) 1. Joan. 3. v. 2.
(m) Psal. 65. v. 16. (n) Hom. in Evang.
(o) Lib. 21. de civita. DEI.

O igitur locum fortunatissimum! ô regiam limpidissimarum voluptatum! verè *dilecta sunt tabernacula tua Domine virtutum!* ah! *concupiscit* ea, & præ magnitudine desiderii *deficit anima mea;* dum cogitat *de atriis tuis.* (p) *O gaudium super omne gaudium!* (non solùm Augustini, sed mea quoque suspiria sunt) *quando intrabo in te, ut videam DEUM meum in gloria sua, sicuti est? quando veniet illa dies lætitiæ & exultationis, qua ingrediar domum DEI, ut videam videntem me facie ad faciem, & satietur desiderium meum?* (q) O sanctitas! quis te non ambiat, & amet? cùm illa Patriarchæ Jacob scala sis, cujus ope per virtutes tum Theologicas tum morales quasi per totidem gradus ad illam beatissimam *lucis plenitudinem* eluctamur, quam constituit *Veritas DEUS.*

3. At verò non solùm ibi *videbimus DEUM, sicuti est;* sed etiam amabimus; & quidem pro viribus eundem solidéque amabimus. Unde in *voluntatem*

(p) Psal. 83. v. 1. (q) In Soliloqui.

tatem redundabit ſumma *plenitudo pacis*, quàm creabit *Charitas DEUS.* Nam perſpicua illius Divinitatis viſio non erit ſimilis ſterilibus illis luminibus, quibus Numen in hac vita ſæpius quidem cognoſcimus, quin tamen charum habeamus. Cognitio hæc erit fœcunda, & efficiet, ut, quod ſentimus, etiam guſtemus: ut, quod videmus, etiam diligamus; ut, miris ardoribus inflammati, blanda vi in Dilectum rapiamur.

Itaque non ſolùm intellectus dilucidè agnoſcet illam Pulchritudinem ac Amabilitatem infinitam, quæ fons eſt omnium pulchritudinum, omniumque affectuum felix meta; ſed eam voluntas quoque ardentiſſimo amore proſequetur. Inde autem inexplicabile gaudium orietur. Nam ô! quæ jucunditas erit, amare bonum adeò perfectum, illudque amare tam perfectè? intellectu & voluntate geminis veluti brachiis arctiſſimè complecti illud centrum omnis gloriæ & proſperitatis? ei intimè vinculo charita-

tis

tis uniri? omnimodè totum possidere, & instar candentis ferri in illum ignem divinum integrè transformari?

Enimvero si solùm illa felicitate bearemur, quæ naturaliter angelis debetur, ingens nihilominus beneficium id foret; quid ergo erit, quòd eadem, qua Christus fruitur, beatitate etiam nos donandi simus? Sed quid dico, eâdem, qua Christus fruitur? imò eâdem illa (obstupescite ô Cherubini, & divinam bonitatem adorate!) imò eadem illa, qua Trinitas ipsa gaudet, beatitudine etiam nos viles vermiculi ditabimur. Illa ipsa quoad substantiam opulentia, dignitas & lætitia, qua orbis Creator tam dives, magnus & felix est, erit pariter opulentia, dignitas & lætitia nostra.

O verba dulci solatio plena! Ergóne tu ô DEUS! tu eris beatitudo, satietas & possessio nostra? Ita est, ô animæ electæ! in cœlo erimus beati illa ipsa beatitate, qua DEUS beatus est, quamvìs in diverso gradu. Illud

lud ipſum bonum, quod eum ab omni retro æternitate abundantiſſimè ſaturavit, etiam nos contentiſſimos reddet. Illa ipſa veritas & bonitas, quæ Mentem divinam, etiam ſatiabit noſtram. Intellectus noſter non alia habebit lumina, voluntas noſtra non alios nutriet ignes, cor noſtrum non aliis ardebit votis. Illius ſinus noſter erit thronus, illius corona noſtrum diadema, illius gloria noſtra purpura, illius immenſitas noſtra ditio. Illius Sapientia erit noſtrum ſcire, illius voluntas noſtrum velle, illius potentia noſtrum poſſe. Sedebimus cum eo in eadem ſede: (r) edemus cum eo ſuper eandem menſam: (s) regnabimus cum eo in eodem regno, nobis *parato à conſtitutione mundi.* (t)

Jam autem edicite ô mortales! (Bernardi verba ſunt) *quid hac beatitudine beatius? quid hac felicitate felicius? quid hac ſorte perfectius eſſe poſſit? quid dulcius, quàm vivere cum DEO, vivere*

(r) Apoc. 3. v. 21. (s) Luc. 22. v. 30.
(t) Matth. 25. v. 34.

de DEO, esse cum DEO, esse in DEO, qui erit omnia in omnibus? (u) Quæ major *plenitudo consolationis, lucis,* & *pacis* optari possit, ac illa est, quam *in memoria Providentia DEUS, in intellectu Veritas DEUS, in voluntate Charitas DEUS* producit, conservat, ac intendit. O satietatem verè beatam! Enimvero homo non est, imò bruto hebetior, petra durior est, qui his auditis nulla illius patriæ desiderio flagrat.

O fons vitæ! ô vena aquarum viventium! etiam ego cum Hypponensi Præsule exclamo, *quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra hac deserta, invia, & inaquosa, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam, & satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam!* (x) O momentum millies fortunatum! quo ad tantam beatitatem admittar; quæ hoc ipso eminens & perfectissima est, quòd incomprehensa ea, infinita, ac adeò plena & satians sit. O horam exoptatissi-

(u) Serm. de ascensione. (x) Aug. in Soliloqui.

tatissimam! qua mutui amoris dulcissimo complexu tu in me, & ego in te suavissimè conquiescam. O suavem virtutis semitam, quæ recto tramite nos illuc deducis! Quis tantæ mercedis plenitudine ad te comparandam non incendatur? illius, inquam, mercedis, quæ etiam exinde plurimùm crescit, quòd timendum minimè sit, ne ea minuatur copia illorum, qui illa fruuntur.

4. Nam (ùt observat Augustinus) *hæreditas Christi, qua cohæredes sumus, non minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus.* (y) Quod idem S. Præsul alibi iteratò repetit, & inculcat his verbis: *Regnum DEI pariter ab omnibus totum, & à singulis possidetur. Regnum DEI, crescente possessorum numero, non minuitur; quia non dividitur. Unicuique integrum est; quia concorditer habetur cum multis.* (z)

(y) In Psal. 49. (z) Serm. 18. de Verbis Domini.

Imò hæc ipsa Beatorum societas ac innumera multitudo tantum abest, ut minuat, ut potiùs summopere augeat eorundem lætitiæ affluentiam. Nam ex mente Aurelii erunt in cœlo *quot socii, tot gaudia:* quot Sancti, tot felicitates æternæ. Dum enim quilibet Sanctorum excellenti pulchritudine decorus splendebit, tot quivis paradisos habebit, quot spectabit gloriæ socios.

Sed nec dictæ huic jucunditatum satietati oberit diversitas graduum in cœlo, qua beati inter se distinguentur; licèt enim, docente Paulo, ibi *alia sit claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum;* imò licèt *etiam stella à stella differat in claritate;* (aa) tamen Augustino teste *ibi non erit aliqua invidia disparis claritatis; quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.* (bb) Omnes enim inter se conjuncti erunt tanquam vivi ejusdem ædificii lapides, (quæ Apostoli comparatio est) quorum alii aliis innituntur,

(aa) 1. Cor. 15. v. 41. (bb) Super Joannem,

tur, omnes ſuper eodem fundamento poſiti, (cc) & ſimul conſtituentes magnificum illud templum, in quo divinæ Majeſtati perpetuò offeretur *ſacrificium laudis.* (dd) Et hinc quisque illorum ſua ſorte contentiſſimus erit. Nulla inter eos regnabit deſideriorum, ſententiarum, conſiliorum ac intentionum diverſitas. Nulla erit ſimultas, nulla ſuſpicio, omnes eodem ſpiritu animati felices vivent; & ſumma beatitatis plenitudine, non obſtante ſociorum copia & gloriæ differentia, perfruentur.

O Superi! quis in terris comprehendere poterit eminentes illas dulcedines, quibus Electi beantur in cœlis? Nam ibi non ſolùm aderit, quidquid optatur; ſed quidquid inſuper requiritur, ne quid amplius optetur. Cor erit plenum, mens contenta, anima ſatur; hæc ipſa tamen *ſaturitas* (ùt ait Gregorius Magnus) *habebit appetitum, & appetitus pariet ſaturitatem.* (ee) *Erunt ſemper pleni* teſte Augu-

(cc) Ephes. 2. v. 20. (dd) Tob. 8. v. 19.
(ee) Hom. 18. in Evang.

ſtino, *& ſemper avidi;* quia *ibi nec deſiderium pœnam generat, nec ſatietas faſtidium.* (ff)

DEUS non tantùm eis ex ambulante in circum calice divinum nectar paulatim ſorbillandum propinabit; ſed *torrente voluptatis potabit eos.* Unde non tantùm ſatiabuntur, ſed omnino *inebriabuntur ab ubertate domûs DEI.* (gg) Et hinc gaudium Domini non intrabit in cor ipſorum; (nam ſpatium foret nimis anguſtum, lætitia nimis circumſcripta) ſed *ipſi intrabunt in gaudium Domini.* (hh) Ipſi ſeſe totos quantos immergent illi omnium deliciarum oceano; dilatante DEO per miraculum cor ſervi, ut ſecundùm totam plenitudinem ſuam capere poſſit gaudium Domini. Quæ omnia certè beatitudinem illam omnino pleniſſimam ac talem fore demonſtrant, ut Numinis Omnipotentia non poſſit, & illius Sapientia non ſciat nobis dare meliorem & majorem quoad rem ipſam

(ff) Lib. 21. de civit. DEI cap. 24. (gg) Pſal. 35. v. 9. (hh) Matth. 25. v. 21.

ſam beatitatem, quam Electis revera det, dando ſeipſum: *ego merces tua;* (ii) exhauriendo (ùt ita dicam) omnes theſauros Divinitatis ſuæ, ſolùm ut eos abundantiſſimè beatos reddat; idque (ô plaudite Cœlites!) æternùm.

O verè ſtupendum beneficentiæ prodigium! O mortales! en! immenſa illa & nullius indiga Bonitas omnes Divinitatis ſuæ theſauros exhauriet, ut nos *plenè* & *æternùm* beatos reddat; *plenè* & *æternùm.* O voces ſuaviſſimo ſenſu refertas! gemini vos cardines eſtis, circa quos omnis Cœlicolarum gloria circumvolvetur. Et hinc Sanctorum lætitia à Davide nunc *torrentis* nomine, nunc *fontis* exprimitur; (ll) torrentis quidem propter voluptatum affluentiam, eorum corda inundantem: fontis verò propter illarum perennitatem, nunquam areſcentem. Unde ſequitur, felicitatem animæ virtutis ſtudioſæ ſummam omnino ac inexplicabilem fore tum *ob beatitatis*, qua conſtat, *plenitudinem;* utì hactenus oſtenſum:

(ii) Gen. 15. v. 1. (ll) Pſal. 35. v. 9. & 10.

ſum : tum *ob æternitatis*, qua durat, *certitudinem ;* quod alterum eſt beatæ illius ſortis complementum.

§. II.

De beatæ æternitatis certitudine.

I. *De felicitatis Sanctorum æternitate.*

I. O deſtinatæ cœlis animæ! gratas in laudes, pia in jubila crebri erumpite! nam, quæ vobis parantur, gaudia æternùm durabunt. Ita eſt: deliciæ, quæ juſtos ibi manent, erunt æternæ, perennes, perpetuæ. In illo enim jucunditatis regno nulla unquam exiſtet cauſa, quæ exigat animæ ſpiritalis deſtructionem : nec ullum unquam dabitur peccatum, quod poſtulet ejus ejectionem : nec unquam deficiet finis, qui expetat ejus conſervationem. Cùm enim is ſitus ſit in oblectatione Numinis videndi, amandi, poſſidendi ; hoc autem felici neceſſitate non poſſit non ſemper exiſtere ; etiam ratio conſervandi animam nullo unquam eventu ceſſare poterit.

terit. Unde cùm ea ſit immortalis, ſempiternam pariter eſſe beatam ejus ſortem, oportet.

Adhæc parata Sanctis gloria *poteſt* eſſe æterna; cùm DEI potentia nullis limitibus ſit circumſcripta: dein *decet* eſſe æternam; id enim exigit tum divini amoris infinitudo, tum largitatis ejus magnificentia: imò *debet* eſſe æterna; aliàs non reſponderet merci à Chriſto pro ea expoſitæ. Is enim, pro illa hæreditate nobis comparanda, ſuo Patri exſolvit lytrum valoris infiniti, ſanguinem ſcilicet vitamque ſuam. Ergo, ut detur proportio inter laborem & mercedem, inter pretium & mercem, debent paradiſi oblectamenta, cùm intenſione non poſſint, ſaltem duratione infinita eſſe ac interminata.

Accedit, quòd ſapientiſſimus ille DEUS, qui infinitè fidelis & potens eſt in adimplendis à ſe promiſſis, tum in veteri tum nova lege, interpoſito jurejurando, ac repetitis vicibus enun-

ciârit, Electorum præmia fore perennia, dicendo: *justi in perpetuum vivent:* (a) *erit lætitia sempiterna super capita eorum:* (b) *fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates:* (c) *regnabunt in sæcula sæculorum.* (d) Ut proin cœlestis patriæ perennitas unum ex primariis fidei nostræ dogmatis sit, de quo vel dubitare impium, temerarium, hæreticum est.

Jure igitur Augustinus exclamat: *ô regnum beatitudinis æternæ! ubi juventus nunquam senescit, amor nunquam tepescit, sanitas nunquam marcescit, lætitia nunquam decrescit, vita terminum nescit;* (e) te indubitanter credo, firmiter spero, ardenter desidero. O quando tandem instabilis animi miseras vicissitudines constanti immutabilitate solidabis?

Equidem omnis excellentia mundi paulatim interit, & cum mortalibus ipsis

(a) Sap. 5. v. 16. (b) Isa. 35. v. 10. (c) Dan. 12. v. 3. (d) Apoc. 22. v. 5. (e) Lib. 1. c. 15. Soliloqui.

ipſis tumulatur. Omnes illi terreſtres dii ac orbis monarchæ, quos olim ùt terræ numina adulantes colebant aulæ, cum omni purpurea majeſtate ſua ſceptriqúe potentia vix totam ſuo cinere nunc implent urnam; quiqúe olim erant univerſi terror, nunc ſunt magnum inane, ac oblivionis caligine obliteratum nihil. Aliquantisper quidem eorundem fama percrebuit; ſed quoniam tempus eorum ſuis limitibus continebatur, *periit memoria eorum cum ſonitu.* (f) Quot ſummi viri & antiquitatis heroes nunc in tenebris jacent, de quibus nemo ampliùs loquitur, nemo cogitat. Omnis eorum pompa ac nominis ſplendor inſtar ignis fatui aut tenuis fumi evanuit.

At verò, ô amantes virtutis animæ! at claritas juſtorum in illa ſiderum regia nunquam interibit. Donec DEUS erit DEUS, teſte regio Pſalte memoria eorum in benedictione erit: *in memoria æterna erit juſtus.* (g) Adveniet extremi judicii dies: interitione peri-

(f) Pſal. 9. v. 7. (g) Pſal. 111. v. 6.

peribit universa hæc orbis machina: post mundi interitum effluent centum millia annorum, ac post hos denuo elabentur plures centenæ myriades annorum; & tamen nec unicum adhuc momentum à fortunata æternitate decerptum erit. Denuo præteribunt tot millia sæculorum, quot arborum folia numerantur; & Cœlitum beatitas tunc quasi primùm incipiet, & quodammodo renascetur. Necdum satis: immensa hac annorum serie elapsa, iterum tot sæcula effluent, quot atomi in aëre, quot arenulæ in terra computantur; & en! Beati semper erunt beati, semper felices; & quidem (quod rei caput est) summa beatitudine felices.

Si enim ô Domine! secundùm Davidis effatum *melior est dies una in atriis tuis super millia*, (h) id est, super mille lustra, quæ in omnibus excogitandis & possibilibus deliciis ac honoribus in his terris viverentur; quid ergo erit perpetuò hac ipsa felicitate perfrui? Si unica

(h) Psal. 83. v. 11.

unica dies, imò unica hora in illa cœlesti regione transacta melior est ac suavior quàm optimorum in hoc mundo annorum infinitudo; quid erit, sæculum, myriadem, aut mille myriades annorum in illo deliciarum mari naufragum exegisse?

Et tamen immani hac lustrorum intercapedine ac sæculorum serie evoluta, necdum ad exitum æternitatis, imò nec ad ejus principium pertigimus; illius enim mensura non tempus, sed unicus DEUS est, qui nullam habet in existendo mensuram, initium nullum, medium, aut finem nullum. O beata æternitas! cujus peripheria est absque termino, cujus lineæ sunt *semper* & *nunquam*, cujus centrum est cumulus omnium bonorum; tu mihi posthac votorum meta, tu actionum regula, & ad sectandam perfectionem perenne incitamentum eris. Tui obtinendi spes in virtutis semita omne asperum lene, omne amarum suave, omne ponderosum leve mihi reddet jucundumque.

II. At

II. *De hujus æternitatis certitudine.*

II. At verò quod ingens his pondus addit, est vitæ hujus gloriosæ securitas ac *certitudo* de illa nunquam in omne ævum amittenda. Id quod infinitæ illius ac æternæ felicitatis singulare quoddam condimentum est ac eminens complementum. Nam scire, felicem hanc sortem sempiternam fore, & de hac veritate æquè securum vivere ac de Trinitatis immortalitate; id enimvero cœlestis coronæ pretiosissimum margariton est. Lapis autem angularis, cui hæc securitas tanquam fundamento innititur, est ipsa fallere, ac falli nescia authoritas divina, qua interposita, Supremum Numen id amantibus se, sacrosanctè promisit. Id quod fidenti voce testabuntur quatuor Evangelii scriptores, nec non gemini hinc Apostolorum, inde Prophetarum chori, qui unanimi assensu affirmabunt, hanc æterni Senatûs sponsionem tum calamo, tum lingua per omnem terram à se cœli jussu evulgatam fuisse. Imò Beati in ipso DEO velut in speculo, Eundem id pollicitum esse, clarissimo ac omne dubi-

dubium excludente intuitu ipſimet conſpicient.

Jam autem perfectiſſimam Mentem illam his ſuis tam ſolennibus promiſſis ſtare vel nolle, vel nequire, utrumque luculenter repugnat; hancque repugnantiam Cœlites evidenti luce cognoſcent, nixi geminis illis ſpei noſtræ baſibus ac columnis ſcilicet Majeſtatis illius inexhauſtæ potentiæ, qua ſemper *poteſt*; Ejusque interminatæ fidelitati, qua certò *volet* implere, quæcunque ſpopondit; quarum perfectionum immenſitatem ac inſeparabilem cum Divinitate nexum Electi intimè pernoſcent. Ergo certitudine omni evidentia certiori ſecuriſſimi erunt de ſuæ beatitatis perennitate.

Et profectò de hoc dogmate ſi certi non eſſent, nec beati forent. Nam (ùt aſſerit Auguſtinus) *illa beatitudo vera non eſt, de cujus æternitate dubitatur.* (i) Timor hac proſperitate denuo excidendi, à viſione hujus tantæ

(i) Lib. 2. de civit. DEI.

tæ pulchritudinis cum tempore cessandi: ab amore hujus tantæ amabilitatis aliquando remittendi, hic, inquam, metus foret gutta fellis, quæ omne illud voluptatum mare amaricaret: foret aculeus, qui mentem perenni vulnere sauciaret: foret tinea, quæ gloriæ stolam edaci dente corrumperet. Verbô: cœlum desineret esse cœlum, nisi cœlicolæ de ejus perpetuitate securi viverent: nec foret Sanctorum *merces* adeò *magna nimis*, (1) si ea hac qualitate careret.

Absit igitur, ô Bonitas infinita! absit tam parca de tua largitate suspicio. Possidebunt te Cœlites sine ulla formidine te unquam perdendi. Illorum conditio ob perennitatis, qua ea continuabitur, securitatem beatissima erit. Amœna hæc cogitatio semper eorundem memoriæ obversabitur: beatus sum, in cœlo sum, eróque æternùm: cor meum innatat æquori purissimarum deliciarum, eíque innatabit æternùm: inexplicabilem ac perfectissi-

(1) Gen. 15. v. 1.

fectiſſimam beatitudinem poſſideo, eamque poſſidebo æternùm! O quis jubilus, quod gaudium, quæ pacis ubertas hæc erit? Ex his abunde patet, illam, qua Juſti poſt mortem in cœlis perfruentur, gloriam ingentem omnino ac incomprehenſam fore non ſolùm *ob beatitatis*, qua conſtat, *plenitudinem*; ſed etiam *æternitatis*, qua durat, *certitudinem*. id quod bipartitum hujus capitis argumentum erat.

Hæc igitur cùm ita ſint; ergo omni conatu ad ſolidæ virtutis culmen eſt eluctandum, ut illa voluptatum ſede eò certiùs & copioſiùs potiamur. ergo omnes aſperitates, quæ ſpinoſam perfectionis viam decurrendo molles offendunt plantas, ob tantæ mercedis ſpem ſunt flocci pendendæ. ergo immaniter ſtulti, ac ſibimet ipſis infenſi ſunt, qui tot gradus æternæ illius felicitatis negligunt, quot pios actus omittunt, aut gratiis rebelles diſſentiunt; qui tot gemmas ex illa cœleſti corona irreparabili jactura perdunt, quot eas augendi occaſiones ſto-

lidi ſpernunt. Verbô: cùm tanta ſit illius regiæ pulchritudo, ergo homines non ſunt, qui non majori ac bruta illius patriæ deſiderio flagrant; nec merentur cœlum, qui indifferenti illud oculo aſpiciunt: qui non conſtanter fugiunt, generoſè agunt, & fortiter tolerant, quidquid ab eo abducit, ad illud perducit, aut illius lætitiam intendit.

O mortales! oculos, quæſo, in altum attollite! en! datur paradiſus, isque eſt creatus pro nobis. Hujus paradiſi gaudia ſunt infinita, ſunt æterna, nobisque certa, modò velimus. Pretium, quo ille ab hominibus comparatur, eſt modicum; nam omnium Dominus *pro nihilo ſalvos faciet eos.* (m) Hæc in ſacris Paginis affirmat æquè fidelis ac verax DEUS. Ad hæc jam quæ nobis mens? Equidem hoc fidei dogma ore profitemur; ſed num etiam corde id ſeriò credimus? De hoc dubitandi plurimam ſanè cauſam ſuppeditat noſtra vivendi ratio.

Quæ

(m) Pſal. 55. v. 8.

Quæ enim hæc fides eſt, iis, quæ de illius aulæ magnificentia narranrur, aſſenſum præbere; & tamen ita illius immemores ſemper ac prodigos vivere? ſcire, *non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;* (n) & tamen ob quamlibet difficultatem arctam, quæ illuc ducit, ſemitam relinquere? O Superi! dementes terricolæ continuò querimur de miſeria mundi; & tamen nil ſoliciti ſumus de beatitate poli. Æſopici inſtar canis umbræ fugacis boni inhiamus; & ſummæ Bonitatis fontem conſequi negligimus. Multo ſudore opes coacervamus in terris, & contemnimus *theſaurum non deficientem in cœlis.* (o) Quis huic torpori non ingemiſcat?

Quin reperire eſt non paucos, qui eò veſaniæ prolabuntur, ut immenſum illud beatitudinis regnum pro turpi illecebra, vili recula, honoris fumo, cineris pugillo dœmoni vendere non verentur. Imò invenire eſt Chri-

(n) Rom. 8. v. 18. (o) Luc. 12. v. 33.

ſtianos, qui juri ad illam cœleſtem patriam renunciant; licèt gaudia illius infinita eſſe ac æterna credant; licèt ſuum inde exilium cum ſempiternis tartarorum rogis conjunctum eſſe cognoſcant, & quidem .... ah! contremiſcant columnæ firmamenti, & tremant fundamenta terræ! & quidem pro re .... ô fulmina! quæ manus vos moratur? pro momentanea .... vah! vocem reſorbet pudor! Quid ergo mirum, quòd *dilatet infernus animam ſuam* (p) ad deglutienda hæc orbis monſtra? & quòd *ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum ſit pars calicis eorum?* (q)

O Domine! ne igitur ſimili fato etiam ego involvar, cum illa muliere *accendam* fidei *lucernam*, *everram* conſcientiæ *domum*, tantæque felicitatis deſiderio incenſus, *quæram*, *donec inveniam* hanc ſummi pretii *drachmam*. (r) Credo, me, ſi in hac tibi vita fideliter ſerviero, ac virtutis ſolidæ amans vixe-

(p) Iſa. 5. v. 14. (q) Pſal. 10. v. 7. (r) Luc. 15. v. 8.

vixero, poſt mortem æterna jucunditate perfruiturum, atque ingreſſurum in ædem gloriæ tuæ, ubi *adimplebis me lætitia cum vultu tuo;* (s) ubi aderunt cuncta, quæcunque opto; & aberunt omnia, quæcunque metuo; ubi erit voluptas ſine dolore, pax ſine bello, quies ſine tumultu, vita ſine fine. verbô: ubi erit *beatitatis plenitudo*, & *æternitatis certitudo.* Spero ô DEUS! in te me viſurum, quidquid pulchrum eſt: amaturum, quidquid bonum: guſtaturum, quidquid ſuave: auditurum, quidquid harmonicum poteſt excogitari. Deſidero cum cœlicolis te videre, te diligere, te poſſidere, te frui; videre primam Veritatem, diligere amabiliſſimam Pulchritudinem, poſſidere ſummam Bonitatem, frui ſempiterna Felicitate. O! quando *tranſibo in locum tabernaculi* tam *admirabilis?* (t)

(s) Pſal. 15. v. 11. (t) Pſal. 41. v. 5.

§. III.

Conclusiones inde deducendæ.

Cœlitum gaudia, prout ex hactenus dictis intelleximus, sunt incomprehensa & infinita: sunt æterna & certa. Electorum *beatitas* ob suam *plenitudinem* est perfecta. Paradisi *æternitas* ob suam *certitudinem* est consummata. Verbô: *merces sanctorum* (Bernardi oraculum est) *tam magna est, quòd non potest mensurari: tam copiosa, quòd non potest finiri: tam pretiosa, quòd non potest æstimari.* (a)

Jam autem ex his quid concludimus? Ergo (infert Hieronymus) *nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet, quo præmium perenne acquiritur.* (b) Et meritò; cùm enim Beatorum gloria tum ob felicitatis suæ satietatem, tum ob exploratam ejus perpetuitatem inexplicabilis sit: ergo 1. nihil non fugiendum: 2. nihil non agendum: 3. nihil non patiendum est, ut

(a) Lib. de considerat. (b) in Epist.

ut tam gloriosa sorte potiamur. Tres has conclusiones nonnihil attentiùs præsenti paragrapho expendemus.

I. Justorum in cœlis deliciæ sunt infinitæ, sunt æternæ. Ergo nihil non *fugiendum* est, ut iis beemur; id est: ergo vitandum est omne illud, quod abducit à cœlo; quamvìs id manu & pede utilius, oculo & vita charius foret. Ita expressis verbis divinus Legislator jubet, dicens: *si manus tua vel pes tuus scandalizat te*, tibiqúe lapsûs illicium est, *abscide eum, & projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te; bonum tibi est, cum uno oculo debilem vel claudum in vitam intrare, quàm duos oculos, duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in gehennam ignis.* (c) Hæc novæ legis Auctor Christus.

I. *Ergo fugiendum est, quodcunque abducit à cœlo.*

Et nihilominus (vah protervam hominum cæcitatem!) & nihilominus invenire est mortalium innumeros, qui licèt hoc credant, tamen impavidi

(c) Matth. 18. v. 8.

vidi peccant; qui pro vili lucro infinita, pro momentanea voluptate æterna, pro dubio honore certa Electorum gaudia infami nundinatione vendunt, ac alienant; qui beatas sedes illas tam parum ac haram curant; itaque vivunt, ac si illa immortalitatis regio non nisi pro brutis creata foret.

O Christiane! sensus, quæso, colligе, ac divino lumini mentem pande! en! peccatum lethale te jure ad cœlum privat; hæc credis, & tamen delinquis. quæ hæc fides? O Religiose? illa venialis noxa te sensim ad mortiferam perducet, & sic à Cœlitum societate abducet; hæc vides, nec tamen caves. quæ hæc religio? O mundane! hæc familiaritas, hic vitæ status, hoc officium tibi salutis impedimentum, ruinæ occasio, perditionis initium sunt; hæc scis, nec tamen fugis. quæ hæc prudentia? *O inveterate dierum malorum!* (d) hæc prava consuetudo te gloriæ stola exutum, sty-

(d) Dan. 13. v. 52.

ſtygiis ignibus certo certius mancipabit; hoc ipſe tu clarè provides, nec tamen emendas. quæ hæc ſtupiditas? Heu! miſer! dehiſcit jam tellus, tonat cœlum, hiat tartarus; & tu ad orci marginem ſecurus ludis. Imminens tibi vindex Juſtitiæ romphæa jam inopinæ mortis fatalem intentat ictum, & tu animæ prodigus dormitans ſtertis; hisque tonitruis adeò non excitaris, ut potiùs ferali veterno profundiùs indormias; & tamen æternam tu quietem ſperas. Vah! impiam ſpem, *cujus conſummatio in combuſtionem!* (e)

At oppones tu mihi, grave nimis ac difficile tibi accidere, illud vitium corrigere, iſtam occaſionem fugere, hanc conſuetudinem deponere. At peto à te ego, ut ſtelliferum illud palatium intuearis, ut illam ſempiternæ beatitatis infinitudinem conſideres, & parati tibi ſolii excelſitatem perpendas. Age, an ejusmodi aſpectus piaque meditatio minùs efficere in te Chriſtiano

(e) Hebræ. 6. v. 8.

possit, ac olim ea in juvene Machabæo valuit?

Dum enim Rex Antiochus natu minimum ex illa heroum stirpe ingentibus tum promissis, tum minis ad deserendas leges paternas hortaretur, mater ob teneram filii ætatem de ejus firmitate solicita eundem in vera fide non nisi spe cœlestis patriæ confirmavit, his illum verbis alloquendo: *peto, nate! ut aspicias ad cœlum.* (f) En! hìc in altis te laureatus exspectat fratrum chorus; his brevì sociatus, beata pariter vives sorte; ibi *momentaneum & leve tribulationis æternum gloriæ pondus* consequetur. (g) Id unum proin à te peto, nate! ut cœlum aspicias, ut cœlum cogites, ut illius felicitatem memori mente revolvas. Dictum, factum: aspexit, cogitavit, revolvit. & en! generosa voce insultans tyranno, ejusque tormenta deridens, fratrum vestigia secutus, *animam & corpus tra-*

(f) 2. Mach. 7. v. 28. (g) 2. Cor. 4. v. 17.

tradidit pro patriis legibus cruciandum. (h)

Quod Machabæa hæc ſuo filio, idem cuilibet noſtrûm Deipara Virgo cœleſti è throno inclamat: *peto nate, ut aſpicias ad cœlum.* Quando alaſtor ſtygius tentationum exercitu in te irruit; quando ſubdola caro ſuis blanditiis tibi pedicas ſtruit, aut magico mundus ſibilo te incantare contendit; mox radiantes ſiderum orbes contemplare: promiſſam victori lauream intuere: uni lanci impone delicias plenitudine inexhauſtas, duratione perennes; alteri verò impone illam voluptatem, illud commodum, illumque honorem, quem ex hoc peccato, ex illa appetentia aut prava motione percipere cupis, affectasque; quidve alteri præponderet, æquabili ſtatera ſedulò expende. Ad tuæmet rationis tribunal jam appello: ipſus tu judica, an, non dicam, Chriſtiani, ſed vel hominis ſit, gaudia infinita & æterna cum modica delectatione, eáque tranſito-

(h) 2. Mach. 7. v. 39.

ſitoria commutare ? . . . . Hìc greſſum fige ; quamque olim ſententiam ſub mortem judex anima ſit latura, providus expende.

Et profectò ſi illa primi gradûs amentia fuit, qua Rex Symmachus integrum regnum pro hauſtu frigidæ, & Eſavus fratri Jacobo *pro lentis edulio primogenita vendidit ;* (i) quanta ergo inſania non erit, incomprehenſam ac interminatam paradiſi gloriam pro levi oblectamento, pro modico lucello, pro honoris nihilo dilapidare, ſpernere, & abdicare? & quidem abdicare ſine animi ægritudine, aut pediſſequo facti mœrore.

Symmachus & Eſau rei ſolùm terrenæ ac temporariæ jacturam ſubierunt; & tamen mox poſt patratum à ſe facinus prior amariſſimè flevit; alter verò *conſternatus irrugiit clamore magno.* (l) Et Chriſtianus (ah lugete cuſtodes Angeli !) Chriſtianus, poſtquam *propter pugillum hordei, & fragmen panis,*

(i) Gen. 25. v. 33. (l) Gen. 27. v. 34.

nis, (m) vesana temeritate sese exuit jure ad integram summæ beatitatis infinitudinem, is prono in jocos ore atque ad saltum pede futurorum improvidus *abit*, *rem parvi pendens*. (n) O stolide nundinator! si servus tuus ingentis pretii gemmam pro vili vitro commutaret, sæva irarum procellâ in eundem detonares. interim tu cœlum pro cœno vendis, & rides!

At jam iterum confitebor, ais: damnum irreparabile haud est: per pœnitentiam recuperari amissum potest. Verùm mi bone, quis de gratia te, nec non de tempore seriò pœnitendi securum reddidit? Per gravem noxam jus omne ad paradisum perdi, res certa est; num autem animum sincero dolore sis expiaturus, dubium omnino ac valde lubricum est. Jam verò ánne prudentis est, incerto casui beatam æternitatem exponere?

Sed ponamus, benignum Numen tempus tibi & gratiam ad resipiscendum

(m) Ezech. 13. v. 19. (n) Gen. 25. v. 33.

dum gratuito affectu largiturum; quo cœlesti oraculo compertum habes, te utroque hoc dono rite usurum? Innumeris jam tempus & gratia ad pœnitendum negata est; innumeri etiamsi tempus & gratiam habuerint, tamen utroque abusi, sceleribus immortui sunt. quod innumeris contigit, cur non etiam tibi evenire queat?

Ah! infelix! potes in peccato mori. ita est ô prævaricator! audi, & totis artubus contremisce! potes in peccato mori. id autem justo DEI judicio si fiat, actum est de anima, actum de cœlesti patria, & quidem jactura irreparabili. Hæc credis, nec tamen mentem lethali piaculo fœdare horres? O insane! non auderes aureorum decadem adeò incertæ sorti committere; & audes cœlum? & hoc audet (stupete cœlites!) non solùm Turca aliquis, Brasilus, aut Scytha; sed Christianus, qui divina certitudine hæc se tenere profitetur; imò qui non rarò id ipsum quoque aliis pro concione proponit, & inculcat. Enim-

vero

vero aut fides abjuranda eſt, aut mores mutandi : aut ſpei ad paradiſum, aut actæ hactenus vitæ renunciandum eſt.

O magne ſiderum Rex ! tu feciſti potentiam in brachio tuo, & quaſi omnes theſauros Sapientiæ tuæ exhauſiſti, ut mihi æternam infinitæ felicitatis ſedem præparares ; Chriſtus, ut illam mihi compararet, copioſos ſanguinis rivos effudit ; & ego hunc ipſum gloriæ thronum ob crepundia negligo ! At pudet me amentiæ meæ . . . Deinceps cane pejus & angue declinabo, fugiam, & averſabor, quidquid ab illa voluptatum infinitudine abducit ; videlicet omne peccatum, peccandique occaſionem. Potiùs jam nunc ſtatim ſubitanea morte è vivis me tolle, ô vitæ arbiter DEUS ! quàm me ſinas longiori ævo attingere infelix illud momentum, quo me provides, gravi ſcelere immenſam Amabilitatem tuam offenſurum.

II. At non ſufficit, ſolerti cura vitâſſe, quidquid abducit à cœlo ; ingen- II. *Ergo age n-*

dum est, & amplectendum, quidquid conducit ad cœlum.

gentibus insuper animis etiam *agendum* est, & in praxin deducendum, quidquid adducit ad cœlum, utut asperum id ac difficile sit. Electorum gaudia sunt infinita, sunt perennia; ergo ut iis potiamur, arripienda sunt omnia illa subsidia, omnes illæ virtutes sunt exercendæ, & omnes amplectendæ asperitates, quæ tutiori tramite nos illuc perducunt. Id non solùm ratio dictat, sed etiam nostrî amor suadet.

Quid enim? An non sibimet ipsi summè infensus est, qui paratum sibi solium conscendere, oblatumque sibi regnum accipere ignavus tardat, aut renuit? Præcipuè cùm ille, qui pro tanta mercede exigitur, labor exiguus omnino ac facilis sit. Verum quidem est, quòd æterno divini Senatûs decreto *nemo coronetur, nisi qui legitimè certaverit;* (a) quòd nemo *accipiat coronam vitæ, nisi cùm probatus fuerit;* (b) quódque solùm *vincenti detur edere de ligno vitæ, quod est in para-*

(a) 2. Tim. 2. v. 5. (b) Jac. 1. v. 12.

paradiso; (c) adeóque quòd pugnandum nobis, patiendum, ac triumphandum sit, ut *ascendamus* in hanc gloriæ *palmam*, & *apprehendamus fructum ejus*. (d)

Nihilominus verum etiam est, quod asserit Gentium Doctor Paulus, nempe *id quod supra modum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, in præsenti momentaneum & leve tribulationis esse*; (e) ita quidem ut hæc ipsa parvitas laboris, quo tanta beatitas comparatur in terris, plurimùm augeat felicitatem justorum in cœlis. Ingenti enim solatio diffluunt animæ beatæ, dum vitæ cursum recolendo, perpendunt, se in stadio tam brevi tempore currendo tamen bravium comprehendisse; (f) se tam modico sudore *hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarcescibilem* acquisivisse; (g) se tam levi impendio illud cœleste drachma, illam inæstimabi-

(c) Apoc. 2. v. 7. (d) Cant. 7. v. 8.
(e) 2. Cor. 4. v. 17. (f) 1. Cor. 9. v. 24.
(g) 1. Petr. 1. v. 4.

lem margaritam, illumque tam divitem thesaurum reperisse, pro quo emendo omnia esse vendenda ipse Salvator docet. (h) Nam quantumcunque impendamus conatum, semper is levis & parvus est, sive dein ille spectetur in se, sive comparetur cum susceptis pro mundo laboribus.

1. Inprimis enim labor is modicus est *in se spectatus*. Nam solummodo requiritur, ut agamus id, quod Sapientissimus æquè ac mitissimus, nostrî amantissimus ac humanæ fragilitatis intimè conscius Legislator jubet secundùm illud Christi effatum: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (i) hæc autem *suave jugum* esse ac *onus leve*, eò minùs inficiari licet; cùm id ipsus Servator doceat; (l) qui insuper ea omnia, ne nos eorum multitudo gravaret, ad duo solùm capita reduxit, nempe ut DEUM amemus plus quàm nos, & proximum sicuti nos

(h) Matth. 13. v. 46. (i) Matth. 19. v. 17. (l) Matth. 11. v. 30.

nos. nam *in his duobus mandatis universa lex pendet & prophetæ.* (m)

Jam autem vos ipsos hìc judices volo, quicunque hæc legitis; edicite, an jure hoc arduum nimis ac difficile accidat, ne dicam, Christiano *verbis fidei enutrito*, (n) sed vel homini sociali vitæ assueto? O natæ amoribus mentes! ergóne asperum adeò ac durum sit, incomprehensam Pulchritudinem, infinitam Amabilitatem, omniumque perfectionum individuam societatem majori charitate amplecti, stringere, ac prosequi, quàm saccum stercorum, nidum vermium, pugillum cinerum; quàm pus, paleam, nihilum? (hoc enim es, quicunque homo es) Ergóne adeò grave sit, nec proximo inferre, quod tibi fieri vetas, malum? hoc, inquam, operosum quid & magnum homini, eique Christiano sit?

O Amor divine! tu hominem charitate perpetua, æterna, gratuita amplexa-

(m) Matth. 22. v. 40. (n) 1. Tim. 4. v. 6.

plexaris, ac beneficiorum infinitudine cumulas; & homini (vah ſcelus!) homini ratione prædito, tot beneficiis prævento Te non odiſſe, nulla graviori noxa laceſſere, totis viribus te plusquam ſe, etiam in proximo amare, laborioſum nimis aut omnino impoſſibile videatur? Ah! ſola rei hujus memoria ingenuam mentem juſta indignatione complet, ac luculenter demonſtrat, levem eſſe omnem neceſſarium pro cœlo conatum, ſi is ſecundùm ſe ſpectetur.

2. Præterea labor, quo æternum gloriæ bravium acquiritur, facilis quoque & exiguus eſt, ſi *comparetur* cum iis, qui pro mundo exantlantur, ſudoribus vigiliisque. Pone tibi ob oculos patremfamilias, mercatorem, advocatum, judicem, aulicum, regiumque miniſtrum. O quot noctes ducunt inſomnes? quàm continuis vexantur curis? quàm vanis impalleſcunt ſtudiis? quot ſuſpicionibus agitantur? timoribus anguntur? anxietatibus cruciantur, ut opum aliquid aut

hono-

honorum, ut dubium aliquem ac nutantem Principis favorem aucupentur. Considera infimæ sortis homines; proh! quantopere miseri pro modico lucro diu noctuque non laborant, algent, & sudant? Denique quid non molestiæ, periculi, & miseriæ lucelli spe milites & nautæ superant, tolerantque?

Componantur jam hi conatus cum illo conamine, quod pro obtinendo Cœlitum regno supremum Numen requirit: comparetur jugum mundi cum jugo Christi; conferantur præcepta regum terræ cum mandatis astrorum Domini; & illa hæc arduitate sua multùm excedere deprehendemus. Certè si ille avarus Euclio à lethali noxa abstinendo lucrari posset divitem auri venam argentique gazam; si ambitioso illi aut voluptuoso homini hac eadem impensa potentis imperii thronum conscendere, aut cupito deliciarum regno potiri daretur, tali culpa sibi procul dubio interdicturi essent. Et en! hac ipsa merce thesaurorum

maximum, perennis regni ſolium, & quandam voluptatum immenſitatem nobis acquirere poſſumus; & tamen de conditionis difficultate molles conquerimur; illudque abnuimus agere pro cœlo, quod alii tam promptè faciunt pro lucello.

O Superi! quis non illacrimetur tam noxiæ mortalium improbitati? *Pro modica præbenda* (pii Aſcetæ lamenta ſunt) *longa via curritur*; contrà verò *pro vita æterna à multis vix pes ſemel à terra levatur.* (ſingula, quæſo, verba ſuis momentis ponderentur) *Pro vana re diu noctúque fatigari non timetur; ſed prô dolor! pro bono incommutabili, pro præmio inæſtimabili, pro ſummo honore & gloria interminabili vel ad modicum fatigari pigritatur.* (o) Pro exiguo proventu nulli labori parcitur, pro tenui pecunia etiam Acheronta moventur; pro pugillo terræ non rarò lites forenſes amicorum optimis intentantur; ſolùm pro cœlo (ô vocis pondus attendatur!) pro cœlo illisque

(o) De imit. Chriſti l. 3. c. 3.

lisque ſedibus æthereis nihil agitur, & tentatur.

O Angeli pacis! impiam terricolarum cæcitatem deflete. En! clamat Satanas: ſervite mihi, & dabo vobis tartarum; & dœmoni ſervitur. Clamat DEUS: amate me, & dabo vobis paradiſum; & DEUS non amatur. Amatur mundus & caro: amantur nugæ nugarum; ſolus amor divinus non amatur, licèt integram gaudiorum infinitudinem æternitatemque diligentibus ſe promittat. Omnis pro ſuprema felicitate conatus nimiùm difficilis, omnis labor nimis arduus eſt; & quidem illis eſt, queis graviſſimus, quem mundo exhibent, mancipatus jugum ſuave, onus leve eſt.

Certè ſi vel trigeſimam partem illius conaminis, quod pro acquirendis honoribus & divitiis tam faciles exantlamus, obtinendis Beatorum deliciis impenderemus, magnis Eccleſiæ Sanctis brevì accenſeremur; cùm modò diu noctuque laborando, vigilando,

do, & ſudando non niſi ligna accumulemus, augendis purgantibus flammis ſervitura. Et profectò ingens probrum eſt, Judæos plus actitare pro nummis quàm Chriſtianos pro Numine: mundanos plus agere, ut ſe damnent, quàm ſacratos DEO miniſtros, ut ſe ſalvent: milites duriora ſubire pro laude militari, quàm ſubin Religioſos pro gloria cœleſti.

O mi DEUS! tu nihil intentatum relinquis, ut nos æterna felicitate bees; ſoli nos torpore languemus. dœmon omnes adhibet artes, ut illa nos patriâ privet; ſoli nos ſecuri dormimus. viam præeuntes Sancti ſuo exemplo ſuisque laureis ad ſequendum nos animant, invitantque; & inertes pigrique ſtertimus. pro comparanda nobis incorrupta ac immortali corona nec pedem attollimus, nec digitum movemus.

Chriſtus aſſeverat, *regnum cœlorum vim pati*, & ſolùm *violentos rapere illud*;

lud; (p) & interim nos cuticulam muliebriter fovemus, omnem appetitionibus libertatem concedimus, libera sensibus fræna laxamus, omniaque commoda in victu & vestitu, in habitatione & somno semper & ubique soliciti quærimus: quidquid corpori molestum est, delicati averruncamus: ad solum nomen cilicii, abstinentiæ aut flagelli molles cohorrescimus; & tamen eodem cum Electis deliciarum torrente potari cupimus; licèt sciamus, alterutro carendum esse, nempe aut gaudiis cœli aut voluptatibus terræ; cùm nemo possit *delectari hìc in mundo, & postea regnare cum Christo.* (q) Quis tam difformes fidei mores non execretur?

Proin ô anima! hìc stans deliberà, quidque eligas, statue. Priùs tamen tecum perpende, cuilibet actui, quo intellectum subdis, sensus cohibes, voluntatem frangis, appetitum refrænas, iracundiam moderaris, aut aliam

(p) Matth. 11, v. 12. (q) De imit. Christi l. 1. c. 24. n. 6.

virtutem ſuperam exerces, novum infinitæ beatitudinis gradum reſpondere. Quotiescunque ergo carni blandiendo, amori proprio indulges; quoties occaſionem tibi vim inferendi tepidè negligis; toties infiniti gaudii novam æternitatem irreparabili jactura perdis. Nam (ùt acutè obſervat Philo Hebræus) *oblectamenta vitæ præſentis furta ſunt oblectationum vitæ futuræ.*

Contrà verò ponamus, te exempli cauſa oculos à curioſo aſpectu continere; & en! per hanc viſûs tui coërcitionem meritus es in cœlo altiorem nunquam terminandæ felicitatis gradum. Quodque de oculis hìc dictum, idem de aliis quoque corporis ſenſibus animique motibus intelligas, velim. His itaque rite expenſis, quid deinceps pro obtinenda beatitate æterna moliri velis, providus decerne. Nam, cùm *magna* adeò *ſit domus DEI*, & tam *ingens ſit locus poſſeſſionis ejus*; (r) ergo nihil non agendum eſſe, ut ea potiamur, evidens eſt.

At

(r) Baruch 3. v. 24.

At forſan etiam tu cum Auguſtino ingemiſcis: *ergóne ſine iſtis vivere potero? & à momento iſto non mihi liceat hoc vel illud in æternum?* (s) O bone! non nego tibi, ſed differo gaudia. Petis delicias? bene eſt: exſpecta modicum, & in illa cœlitum patria abundabis deliciis ſuavitate immenſis. Ambis honores? bene eſt; brevem patientiam habe, & in illo omnis magnificentiæ regno ipſe DEUS tibi thronus, & corona erit. Appetis opes? bene eſt; paululum præſtolare, & in illa beatorum regione nunquam defecturo ditaberis theſauro. Verbô: non nego tibi voluptates, divitias & dignitates, ſed tantùm differo. Fluxis & tranſitoriis infinitas ac ſempiternas ſubſtituo.

Et hæc tam proficua commutatio tibi gravis accidat? An non melius eſt, fructus colligere maturos & ubere, licèt tardiùs? quàm citiùs quidem, ſed acerbos adhuc & paucos? An non prudentiùs agit, qui exſpectat

(s) Confeſs. Lib. 8. cap. 11.

ctat autumnum, ut uvas deguſtet dulces, quàm qui media æſtate præcoci manu immaturas decerpit? Cùm ergo hæc poſterior tibi mora tam difficilis haud ſit; cur ſolùm illa prior adeò tibi intoleranda videatur? Mirum ſanè, nos ſolùm hoc in negotio talparum inſtar cæcutire, qui aliis in rebus lyncium more adeò acutè videmus.

III. *Ergo patiendum eſt, quidquid auget gloriam cœli.*

III. Tertiò denique nihil non *patiendum* eſt, ut promiſſa cœlicolis felicitate beemur. Gloria cœleſtis eſt infinita, eſt æterna. ergo pro ea obtinenda, & augenda omnia adverſa patienti animo ac libenti ſunt toleranda; tum quia paradiſus omnia meretur: tum quia ratio dictat, ut momentanea ac levi moleſtia licitemur gaudia plenitudine inexhauſta, duratione interminata.

Et tamen ſunt, qui nihil pro cœlo pati volunt; quibus quælibet ærumna calamitasque gravis nimiùm ac intolerabilis videtur. Ægroti ut vitam mortalem innumerisque miſeriis obnoxi-

noxiam ad breve tempus producant, amarissima non rarò medicamenta ridenti ore admittunt, secari se, ac uri virili constantia patiuntur; atque chirurgis medicisque caram servitutem serviunt. Contrà hi ipsi pro comparanda sibi vita semper duratura omne asperum horrent, ac aversantur. Quis delicatam hanc timidamque socordiam non detestetur?

Audite ergo ô pusillanimes! quibus illa DEI regia adeò vilescit, audite, quid summè veridicum Numen per Gentium Doctorem Paulum enunciet, ac interposita falli nescia authoritate sua iteratò confirmet, *non sunt condignæ*, inquiens, *passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* (a)

Hujus veritatis testes numeramus omnes duodecim Apostolos, plus quàm octodecim myriades Martyrum, infinitam multitudinem Confessorum ac Virginum, denique Electorum innume-

(a) Rom. 8. v. 18.

numerabilem exercitum, qui omnes nobis unanimi voce ex astris inclamant: ita est, ô mortales! *non sunt condignæ;* omnes ærumnæ & calamitates, omnes cruciatus & dolores *non sunt condignæ ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Nihil sunt, *momentaneum quid & leve sunt ad æternum gloriæ pondus, quod operantur in nobis.* (b) Et hoc fidei dogma est, de quo dubitare nefas est.

O quantopere modò in illo beatitudinis regno lætantur Cœlites de suis per vitæ cursum exantlatis laboribus, angustiis, & angoribus. Quantopere de suis afflictationibus, & voluntariis asperitatibus modò gaudent Sancti Pœnitentes? Quanta cum lætitia nunc sua vincula & catastas, sua vulnera & equuleos dissuaviantur Martyres? Quo affectu sui cruciatus extremiqúe supplicii instrumenta complectuntur Apostoli?

O beatæ ægritudines & miseriæ! (exclamant modò insertæ sideribus animæ)

(b) 2. Cor. 4. v. 17.

mæ) ô beatæ persecutiones fortunæque naufragia! ô millies fortunati mœrores, penuriæ & ludibria! vos tantam nobis lætitiam peperistis: vobis debemus nostræ sortis eminentiam: sine vobis actum erat de nobis: vos scala fuistis, per quam ad hujus throni celsitatem eluctati sumus. Talia modò sensa supernæ civitatis incolæ fovent. Tantum abest, ut illos nunc pœniteat vitam humilem, austeram, miseramque varias inter ærumnas & carnis vexationes egisse, ut potiùs immensùm exultent, ac illud regii Vatis ingeminent: *lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.* (c)

Imò si in ipsis tristitiæ locus foret, id illos affligeret, quòd non plura pro paradiso eáque graviora sint passi. Certè stygios cruciatus lubenti animo sustinerent, si eis per hæc tormenta vel unicum majoris gloriæ gradum promereri daretur. Quid? quòd ipsi etiam dœmones (ùt aliquando ii teste

(c) Psal. 89. v. 15.

ſte Cantipratano palam ex energumeno confeſſi ſunt) multa lubentia tartari rogos ad extremum uſque judicii diem perpeſſuri eſſent, ſi dein illis vel unico momento amabiliſſimam Numinis pulchritudinem conſpicere daretur.

O Chriſtiani! ad hæc jam quæ vobis mens? ah! tandem aliquando vel ipſo ab orco cœlum æſtimare diſcamus. En! dœmones ad finem uſque mundi infernos ignes promptiſſimi ſuſtinerent, modò dein momento illa beatitudine perfrui poſſent. Et nos (vah probrum!) nihil adverſi perferre volumus, ut ſupremum Numen æternùm intueri, ac poſſidere poſſimus. Quis ad tantum ſempiternæ beatitatis contemptum non exhorreſcat? Quid, obſecro, olim reſpondebimus Satanæ de hac vecordia nos accuſaturo? quid divino Judici ob eam à nobis rationem expetituro? Certè vel Sancti fuerunt amentes, quod tanta pro paradiſo tolerarint; vel nos vehementer fallimur, dum omne aſperum refugi-

mus.

mus; & tamen eadem, qua illi, ſorte beari cupimus.

Enimvero ô magne ſiderum conditor DEUS! ſi pro illa, quam ſpondes, beatitudine mandares omnia nobis bona auferri, oculos erui, manus & pedes abſcindi, cutem abſtrahi; ſi nos immanibus tormentis aut omni morborum genere juberes cruciari, certè immodicum non exigeres; cùm illa immortalitatis regio omnia mereatur, & pro ea acquirenda nec fieri nimium, nec peti poſſit.

Et tamen teſte Apoſtolo non poſtulas à nobis niſi *momentaneum & leve tribulationis.* (d) nam *leve* eſt, quidquid toleramus, ſi *æterno gloriæ ponderi* comparetur; *momentaneum* quoque eſt, quidquid perpetimur; cùm omnis annorum ſeries æternitati collata, non niſi fugiens momentum ſit. Et tamen hoc tam *leve*, *ac momentaneum tribulationis* nimiùm grave nobis moleſtumque accidat?

(d) 2. Cor. 4. v. 17.

O delicatuli! ipsum *Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam;* (e) Christum, inquam, *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, (f) hunc oportuit pati, & quidem cruciatus diritate immanes, copia innumerabiles, varietate atroces; & vos prævaricatores, quorum *iniquitates multiplicatæ sunt super capillos capitis*, (g) vos pro illa beatitudine superna durum quid experiri abnuitis? vos per aliam quàm regiam crucis viam illuc pervenire contenditis? At frustra *mentitur iniquitas sibi.* (h) Lata jam pridem sententia est: aut patiendum, aut cœlo exulandum est. Quisquis pati renuit, illuc non pertingit. nam divina lege cautum est: *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI.* (i)

Ex his sequentes conclusiones naturali nexu profluunt, nempe beatissimæ illius vitæ gaudia sunt plenitudine

(e) Luc. 24. v. 26. (f) 1. Petr. 2. v. 22. (g) Psal. 39. v. 13. (h) Psal. 26. v. 12. (i) Act. 14. v. 21.

ne infinita: ſunt duratione perennia. ergo 1. *fugiendum* eſt, quidquid abducit à cœlo. 2. ergo *agendum* eſt, quidquid conducit ad cœlum. 3. ergo *patiendum* eſt, quidquid auget gloriam cœli. Proin ô anima! Thomæ à Kempis monitum ſecuta, *ſcribe, lege, canta, geme, tace, ora, ſuſtine viriliter contraria; digna eſt his omnibus & majoribus præliis vita æterna.* (1)

(1) De imit. l. 3. c. 47.

CAPUT VI.

DE PERSEVERANTIA.

NUllus dubito, quin hactenus explicata cœlestium deliciarum infinitas, æternitasque non tantùm ingens in nobis illius gloriæ desiderium excitarit; sed insuper ad procurandam pietatem solidam, utpote quæ illuc manu ducit, nos vehementer incitarit. Ut autem utroque hoc thesauro, nempe & probitatis soliditate & cœli beatitate, securi potiamur, perseverantia opus est; nam solus ille, *qui perseveraverit usque ad finem*, hic perfectus, *hic salvus erit.* (a) Hæc enim felix illud beatæ electionis signum & electorum nota est: hæc omnium virtutum anima, proprius caracter, lapis Lydius, & victrix corona est, sine qua illæ nec pretium habent nec meritum. Tan-

(a) Matth. 10. v. 22.

Tanta ergo conſtantiæ in bono cùm neceſſitas ſit ad perfectionem & beatitudinem conſequendam, pro coronide hujus operis ob oculos ponam I. ſtabilitatis decora, II. inſtabilitatis diſpendia, ut amborum conſideratione fortiter impellamur ad ſanctitatem non ſolùm aliquamdiu ſed perſeveranter ſectandam.

§. I.

Perſeverantiæ decora.

I. PRima prærogativa, qua perſeverantes in bono juſti ab aliis lunæ æmulis erronibus diſtinguuntur, in eo conſiſtit, quòd vivi adhuc eleventur ad ſtatum ſimilem illi, quo olim poſt extremum judicii diem reviviſcentes beabimur; utpote ubi immutabili felicitate eundem perpetuò vitæ & ſortis curſum tenebimus. Nam etiam illi, qui in probitate conſtantes ſunt, omni lunatica morum viciſſitudine ſuperiores, in æquabili ſemper juſtitiæ libra perenne ſolſtitium celebrant,

I. *Nos ſimiles facit Beatis ipſiſque Deo.*

lebrant, & amandato inconſtantiæ aprili, ſtabili gaudent vere.

Præterea tales per hanc virtutem quodamodo participes fiunt ipſius immutabilitatis DEI; cùm etiam apud ipſos, licèt diſſimili beatitate, non ſit *transmutatio nec viciſſitudinis obumbratio.* (b) Quamvis enim aliàs teſte Huſſæo Vate *inter Sanctos nemo immutabilis ſit*, (c) & homo natura ſua *nunquam in eodem ſtatu permaneat;* (d) tamen perſeverantiæ adminiculo ad aliquam ſtabilitatis divinæ ſimilitudinem ſublimatur. Ex quo virtutis hujus eminentem præſtantiam colligere licet, utpote quæ nos Beatis, glorioſa carne amictis, nec non ipſi Supremo Numini aliqua ratione ſimiles reddit; & quæ propterea eò potentiùs ad ſui amorem nos incitat, quò altiùs ea ſuos aſſeclas elevat.

II. *Firmam ſpem tri-*

II. Altera laudatæ hactenus firmitatis dos eſt, quòd noſtræ ad æternam beati-

(b) Jac. 1. v. 17. (c) Job. 15. v. 15. (d) Job. 14. v. 2.

beatitudinem electionis ſignum minùs dubium ſit. Fatentur quidem Theologi hac in vita quædam numerari indicia, per quæ cognoſci, vel ſaltem conjici poſſit, quinam mortalium ſint electorum albo inſerendi, & cœleſti gloriæ aſſerendi; ſed tamen iidem unanimi quoque conſenſu teſtantur, pleraque hæc ſigna eſſe æquivoca, errorique obnoxia; cùm non rarò fallant. Nihilominus has inter notas ſiqua eſt, cui certiorem habere fidem liceat, ex eorum ſententiâ hæc, de qua agimus, prævia in bono perſeverantia eſt. Hæc enim vatidico omine & prodromo niſu jam nunc incipit in nobis exprimere illum felicem æternæ immutabilitatis ſtatum, quæ infinitæ beatitati adeò naturalis & propria eſt.

buit perſeverantia finalis.

Imò hoc ipſo, quod conſtanti quis greſſu Solymam verſùs incedere pergat, præſaga ſpe ſolari ſe poteſt, ſe tandem etiam beatæ illius civitatis incolam fore. Patres enim, cùm de prædeſtinatione ſeu de divino ſalutem noſtram decernente decreto diſſerunt,

eam nobis exhibent tanquam catenam ex pluribus insertis invicem annulis compositam. Ex parte cœli catena hæc series est gratiarum, quas electis suis præparavit DEUS, & queis illos liberè quidem, certissimè tamen ad gloriam perducit. Ex parte hominis catena hæc est continuatio plurimorum actuum, per quos his auxiliis fideli annutu consentimus.

Omnes hi assensus sunt præviæ hujus, de qua loquimur, perseverantiæ actus, quorum extremus, ad quem reliqui omnes referuntur, felicem illam finalem perseverantiam constituit; & qui, quia ultimus est, reliquis omnibus coronidem imponit. Sicut ergo ille, qui priores catenæ annulos avida manu arripit, sibi jure de attrahendo etiam ultimo blandiri potest; ita pariter ille, qui per vitæ cursum in exercendis piis operibus constans perseveraverit, meritò sperare valet, se etiam sub mortem firmum in eorum exercitio permansurum; cùm continua virtutum praxis optima animi

mi comparatio ad consequendam beatitudinem æternam, ejusque probabilissimum pignus sit.

Huic ipsi fundamento nixus, vas electionis Paulus paratam justis gloriam certo sibi augurio ominabatur, dum de rei eventu securus intrepidè affirmavit: *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* (e) Licèt enim alibi *se omnium abortivum* esse, (f) & *peccatorum primum* (g) enunciarit; tamen morti proximior nil hæsitans asseverat: *Dominus salvum me faciet in regnum suum cœleste.* (h)

Scilicet stabilitas in pietate per plures jam vitæ annos continuata, hujus fiduciæ firmamentum erat. *Bonum certamen certavi*, ajebat, *cursum consummavi, fidem servavi;* (i) id conscientia fideli vadimonio testatur. Ex hac autem diuturniore virtutum exer-

(e) 2. Timoth. 4. v. 8. (f) 1. Cor. 15. v. 8. (g) 1. Tim. 1. v. 15. (h) 2. Timoth. 4. v. 18. (i) 2. Tim. 4. v. 7.

citatione ſpe plenus inferebat: ergo etiam finali perſeverantia à divina largitate donabor: *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Adeò certum nempe conſtantia hæc ac indubitatum Apoſtolo beatæ electionis prognoſticon erat. Quo autem ſtimulo ſalutis cupida mens efficaciùs impelli poſſit ad ſanctitudinis callem conſtanter premendum, quàm ipſo hoc præſago æternæ felicitatis indicio?

III. *Virtutes reliquas perficit, & coronat.*

III. Tertium denique decus, quo excellens hæc firmitas eminet, in eo conſiſtit, quòd ea omnibus aliis virtutibus pretium addat, earundem meritum augeat, illasque ad perfectionem perducat. Deſumpta ex Hypponenſi Præſule doctrina hæc eſt, dicente: *non eſt magnum inchoare, quod bonum eſt; ſed conſummare, hoc ſolùm perfectum eſt.* (l) Huic opinioni ſuffragatur Hiſpalenſis Eccleſiæ lumen Iſidorus, ita diſſerens: *non eſt beatus, qui bonum facit; ſed qui inceſſabiliter facit.* (m)

(l) Serm. Super Pſal. 51.

(m) *Non quæruntur in christianis initia*, (prosequitur Hieronymus) *sed finis & perseverantia. Paulus malè cœpit, sed bene finivit. Judæ laudantur initia, sed finis proditione damnatur.* (n) *Non enim cœpisse, sed permansisse virtutis est.* (o) ita sentit Hieronymus. Ex his patet, ex mente Patrum solam constantiam probas actiones perficere, eisque meriti coronidem imponere.

Verum quidem est, quòd cuilibet pio actui suus gloriæ gradus respondeat; sed hic non nisi perseveranti confertur. Equidem *omnes virtutes currunt*, (ait Petrus Blessensis) *sed una perseverantia coronatur.* (p) *Omnes quidem virtutes* (Bonaventuræ oraculum est) *coronam merentur, sed sola perseverantia coronatur.* (q) Inde illius pretium ac excellentem præstantiam colligas, velim.

IV.

(m) Lib. 2. de Synonym. (n) Contra Jovinian. Item in epist. ad Furiam. (o) Epist. ad Vitalem. (p) Epist. 22. (q) Diætæ c. 2.

IV. *Imò ipsa est singularis virtus.*

IV. Præterea hæc animi firmitudo non est tantùm complementum, perfectio, & anima omnium aliarum virtutum ac conditio, sine qua nulla earum æterna mercede donabitur; sed insuper ipsa quoque *specialis* ab aliis distincta *virtus est*, (Aquinatis verba sunt) *per quam homo in honestis operibus persistit, quantum necesse est.* (r) Nam ex mente S. Doctoris *ubi occurrit specialis ratio difficultatis, ibi est specialis virtus.* Jam autem *diu insistere alicui difficili, specialem habet difficultatem. Ideo diu persistere in aliquo bono usque ad ejus consummationem, pertinet ad specialem virtutem.*

Ergo cùm in sanctarum operationum exercitatione ipsa exercitii diuturnitas & laboris continuatio singularem quandam valdeque magnam sibi annexam habeat difficultatem, singulari quoque opus est virtute, qua roborati superandæ huic molestiæ reddamur idonei. Talis ergo cùm prodroma hæc perseverantia sit, etiam cuili-

(r) 2. 2. q. 137. a. 1. in C.

cuilibet, quam ordinat, actioni peculiare meritum tribuit, distinctum ab eo, quod aliis, quas comitatur, & animat, virtutibus debetur. Ex quo illius summè proficua excelsitas luculenter elucet.

V. Accedit, quòd consummatum redemptionis nostræ opus in acceptis referendum sit invictæ illi constantiæ, qua divinus Salvator triginta trium annorum spatio innumeros labores, inauditos cruciatus ac ærumnas perpessus est; quin tot miseriarum vel magnitudo vel diuturnitas illum ab incœpto deterruerint; ita quidem, ut verè æterno Patri pridie mortis suæ dicere *potuerit: opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam;* (s) & in cruce positus exclamare: *consummatum est.* (t) Licèt enim Scribæ & Pharisæi, ut inde descenderet, eundem incitarint; seque in eum tunc credituros promiserint; tamen immotus perstitit, blanda hæc invitamenta promissaque neglexit, & atrocissima inter tor-

V. *Illi debetur redemptionis nostræ consummatio.*

menta

(s) Joan. 17. v. 4. (t) Joan. 19. v. 30.

menta tamdiu duravit, donec omnium victorem emisit spiritum.

Exinde præstantissima hujus virtutis decora æstimare licet, quæ profectò tanta sunt, ut summè vecordem esse oporteat illum, qui, neglectis tot stimulis, *respiciens retro, manum ab aratro retrahit*, (u) & electam perfectionis semitam perfido pede profugus deserit. Tu igitur ô immutabile Numen! fige, quæso, inconstantis animi levitatem, & pietatis desertionem improvidè meditantem, victricis gratiæ adminiculo viæ sanctitatis ita affige, ut inde eum *nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec persecutio, nec gladius* (x) unquam separet, avellatque.

§. II.

Inconstantiæ dispendia.

I. *Omni etiam priori merito privat.*

I. ENarratis, queis constantia eminet, prærogativis, proferenda in apricum pariter sunt ea, quæ ex men-

(u) Luc. 9. v. 62. (x) Rom. 8. v. 35.

mentis mobilitate tanquam Lernæo ex fonte scaturiunt, damna. Primum est, quòd vacillans hæc instabilitas (lethalis si sit) omni acquisito priùs merito inconstantem exuat, spoliet-que. Id docet S. Basilius, dicens: *nullum sunt insumptæ semel operæ pretium relaturi, qui non ad legitimum usque finem duraverint.* (a) Consentit Abbas Claravallensis, *absque perseverantia*, inquiens, *nec, qui pugnat, victoriam: nec palmam victor consequitur.* (b) Si Maria Magdalena à monumento Domini, discipulis recedentibus, etiam ipsa recessisset, Christum à mortuis redivivum tunc nec ipsa vidisset. Sed, quia constans remansit, prima eundem conspicere meruit.

Bonum quidem est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua; (c) sed felicitatis cumulus est, si continenter illud ad extremum usque spiritum gesserit. Nequicquam operarii illi, qui omnium primi ad vineam accessere, pon-

(a) Ad Chilonem discipulum. (b) Epist. 129. (c) Thren. 3. v. 27.

pondus diei & æstûs sustinuissent, nisi usque ad solis occasum perseverassent. Viatoris Tobiæ labor inutilis fuisset, nisi continuato itinere tandem ad viæ terminum pervenisset. Frustra Matthæus telonium, Andreas retia, Joannes patrem reliquissent, nisi postea JEsum constanter secuti, imò & assecuti fuissent. *Nil enim prodest Christum sequi*, ait S. Bernardus, *si non contingat & consequi.* (d)

Nempe citra perseverantiam quidquid boni patratur, quidquid afflictationum assumitur, quidquid injuriarum toleratur, id omne frustraneum omnino, inutile & cassum est. Sine stabilitate enim nihil fructuosum, perfectum nihil, nihil completum est. Hæc sola bonis operibus coronam imponit; per hanc solam ad stadii metam pervenimus, bravium cursusque præmium relaturi.

Licèt quis omnes suas opes cum Antonio pauperibus erogaret; licèt cum Guilielmo ciliciis flagrisque corpus

(d) Epist, 252. ad Guerricum Abbatem.

pus ſuum dirè dilaniaret; licèt omnes ſuos artus cum Hilarione perenni jejunio emaciaret; quamvìs denique ſolus ea omnia tormentorum genera exantlaret, quibus omnes ſimul Martyres tyrannorum juſſu affecti fuerunt. nihilominus ſi eum per ſummam infelicitatem ſub extremum vitæ ſpiritum conſtantia deſereret; hæc omnia miſero ad æternam ſalutem nec hilum prodeſſent. Et hoc fidei dogma eſt.

Et tandem quosnam ergo divinus Servator ſalvandos pronunciavit? num qui certârunt? haud ita ſanè; nam plurimi multo tempore certarunt, qui nihilominus modò ſtygiis ignibus torquentur. num qui cucurrerunt? ne hi quidem; multi enim in virtutis ſtadio cucurrerunt, ſed quia currendo defecerunt, laurea ſpoliati æternùm interierunt. num qui fidem habuerunt? nequaquam; innumeri fidem habuerunt, qui tamen tartaro in ſpolium ceſſerunt. Quis igitur electorum numero inſeretur?

O DEUS veritatis! aperi nobis magnum hoc tuæ æquitatis myſterium! Audite ergo ô mortales! divinumque oraculum attenti percipite: *qui perſeveraverit*, (ait Dominus) *qui perſeveraverit usque in finem, hic ſalvus erit.* (e) Ita eſt, infit Euſebius Emiſſenus: *ſpes omnes noſtræ in conſummatione atque fine conſiſtunt.* (f) Inconſtantia omni acquiſito etiam priùs merito privat.

O igitur horrendum ac irreparabile, quod inſtabilitas affert, præmii diſpendium! Quid enim confert plurimum in Indiis aurum collegiſſe, ſi inde redux illius in portu jacturam ſubeas? *Quid mihi prodeſt*, (lamentari pergit Euſebius) *ſi ſata viridantia herbis ſpem meſſis oſtenderint; ſi dein me ſub ipſo falcis tempore ſubita vel aëris intemperie vel pluviarum inundatione decipiant?* (g)

Quid prodeſt modò Salomoni & Tertulliano tam læta ſanctitatis aurorâ

(e) Matth. 10. v. 22. (f) Homil. 5. ad Monach. (g) Ibidem.

râ orbem irradiasse; cùm vitæ occasum tam fœda eclipsi obscurarint? Quid modò juvat illum militem ex numero illorum quadraginta athletarum (quorum solemnis dies decima Martii celebratur) quid, inquam, hunc juvat diu cum sociis in obducto glacie lacu martyrium sustinuisse; cùm postea moribundus sacra ejurârit, sicque sempiternùm perierit? Quid confert illis duobus in Japonia Christianis per plures horas lento igne pro vera fide assatos fuisse; cùm tamen paulò post ab ea defecerint, denuoque in flammas à tyranno conjecti, ùt religionis desertores cremati fuerint, qui ejusdem pœnæ impendio ùt martyres mori poterant? Nempe verissima est Gregorii Magni sententia: *incassum bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur; quia frustra velociter currit, qui, priusquam ad metas venerit, deficit;* (h) cùm inconstantia ferox ille prædator sit, qui nos omni etiam priori merito exuit.

(h) Lib. 1. moral.

II. *Ad damnationem disponit.*

II. At verò, quod calamitatis caput est, non solùm hæc pestis nos omni bonorum cumulo privat; sed insuper etiam malorum omnium centro sensim proximos efficit. Nam ad hanc sub mortem tam noxiam in bono instabilitatem potenter disponit vacillans continuò per vitæ cursum mobilitas animi. Quid enim? an illa nostra inter bonum & malum, inter teporem & fervorem perpetuò alternans varietas perseverantiæ finalis securam nobis spem facere possit? An non potiùs plurima timendi ratio subest, ne, qui divinæ gratiæ semper infideles viximus, eidem quoque perfidi & rebelles moriamur?

Et hoc est terribile illud ac principale, quod illa nostra in percurrenda perfectionis semita inconstans levitas affert, malum; nempe quòd hominem sensim disponat ad tristem illam funestamque infidelitatem, quæ æternam à DEO separationem inducit. Sicut enim stabilis illa in pietate firmitas nos perducit ad felicem

illam

illam in perſeverantia finali ſtabilitatem; ita quoque alternans illa in bono mobilitas nos conducit ad illam finalem inconſtantiam, quæ ſupremum hominis infortunium eſt; cùm maximi omnium mali infelix origo ſit. O Domine! *qui ſemper idem ipſe es*, (i) ne permittas me adnumerari *inter illa ſidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.* (l) Potiùs da, ut & ego ſim ex numero illorum, quos ſecundùm Joannis vaticinium in perſeverantiæ præmium olim *facies columnas in domo DEI.* (m)

III. Sed ponamus, finalem illam ac ſupremam inſtabilitatem pediſſequo nexu non ſemper ſubſequi deſultoriam hanc noſtram in virtutum exercitio mutabilitatem; tamen certum eſt, quod hæc plurimùm augeat, & aggravet ſuſceptum in ſanctitatis tramite laborem. Nam ejusmodi homines ſimiles ſunt navigantibus ad- *III. Laborem in via virtutis ſubeundum auget.*

(i) Pſal. 101. v. 28. (l) Epiſt. Judæ v. 13. (m) Apoc. 3. v. 12.

verſo amne contra alvei torrentem, ſuamque navim magno niſu contra totam aquarum molem propellentibus; hi enim ſi viribus fracti, feſſas manus à remo vel brevi tempore amoveant, mox ſecundo flumine abrepti, horæ ſpatio longiùs retroagentut, quàm diurni conatûs impendio ſunt progreſſi. Siſyphi ſaxum volvunt, quod, ſi à conamine vel minimùm remittatur, proprio mox pondere ad ima ruet, unde tanto cum ſudore in ſublime provolutum fuit; non ſolùm cum omnimoda impenſæ priùs operæ jactura, ſed etiam cum ingenti ejusdem augmento; cùm abrupta temerè tela ſit denuo pertexenda, & prior omnis contentio repetenda. Scilicet veriſſima eſt illa Eccleſiſtici ſententia: *unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?* (n) Si hodierno tepore iterum deſtruas, quod heſterno fervore ædificâſti; ſi craſtina levitate iterum evellas, quod pridiana pietate plantaſti, quem alium

(n) Eccli. 34. v. 28.

alium inde referes fructum, nisi laborem duplicatum?

Accedit, quòd hæc inconstantia pios habitus hactenus acquisitos iterum deleat, vel saltem vehementer infirmet; aut, si tales habitus comparati necdum sint, omnem vim eos adipiscendi infringat; quin imò vitiosos insuper inducat, sepultosque iterum suscitet, & quasi gliscentes sub cinere flammas denuo animet, inflammetque. Unde fit, ut ad solidam virtutem à tali nunquam perveniatur: ut cum longè majori difficultate nunc in opus deducatur, quod tamen antea cum aliqua facilitate executioni mandabatur: ut cura omnis medica spiritalis aut difficillima reddatur, aut desperata omnino & nulla evadat.

Verbò: vacillans hæc & perpetuò alternans bonum inter & malum claudicatio, parta jam & obtenta, iterum destruit, superatas jam in exercitio pietatis difficultates rursus instau-

rat, omnemque consequendæ perfectionis spem penitus adimit, abscinditque. Imò sicut ille, qui priorem in morbum sæpius recidit, conclamata valetudine ad mortis confinia perducitur; ita etiam ille, qui à cœpto fervore remittens, torpido languore retro se abripi sinit, animam totam morbidam reddit, ineptamque efficit recipiendis illis specialibus gratiis, quibus destitutos vis Satanæ horrendùm infestat, totoque nisu in ruinam impellit. ita ut verum dicat Laurentius Justinianus, dum asserit: *velociori gressu, quàm ascenderunt, tales descendere, & fieri eorum novissima pejora prioribus; meliúsque illis fuisse, viam veritatis non agnovisse, & virtutum arduum iter non initiâsse, quàm post agnitum, & inchoatum retrorsum ivisse.* (o) O magnum & omnis vicissitudinis expers Numen! quis tam leviculam in bono mobilitatem, utpote tot malorum originem, non summo horrore execretur?

IV. Præ-

(o) L. de obed. cap. 21.

IV. Præcipuè cùm hæc desultoria instabilitas nos Superum, hominum, & dœmonum contemptui ac ludibrio exponat. Nam inprimis ipse Spiritus Sanctus inconstantem ejusmodi ac vertiginosum hominem appellat lunaticum & stultum, dicens: *stultus sicut luna mutatur.* (p) Ipsi etiam æquales nostri ejusmodi Vertumnos despectui habent, pia eorum decreta risu excipiunt, eosque *sanctis menstruis, temporariis Christianis, justis titubantibus* cum divo Prospero annumerant. IV. *Omnium ludibrio exponit*

Quid? quod ipse dœmon à talium propositis sibi æquè parum ac cautes à maris spuma timeat. dum enim ejusmodi Prothei optima quæque statuunt; dum vitiis internecionem minantur, virtutisque culmini volatica pietate jam jam imminent; is in angulo quietus ridet, bene gnarus, paulò post horarium hunc sanctum antiquam defectuum sylvam repetiturum. Nempe (ùt bene observat Bernardus) *diabolus soli perseverantiæ invidet, ut-*

(p) Eccli. 27. v. 12.

pote quam solam novit à Domino coronari. (q)

O insensatos igitur illos, qui, postquam *portarunt pondus diei & æstûs;* (r) postquam multo tempore æmulo vigore *in stadio cucurrerunt;* (s) postquam diu & fortiter cum *antiquo serpente* (t) decertarunt, tandem præcoci lassitudine correpti, vineam deserunt, circo excedunt, clypeum abjiciunt; idque agunt sub ipsum diei crepusculum, bravio proximi, victoriæ laurea jam jam coronandi. Qui, postquam *euntes ibant, & flebant mittentes semina sua*, paulò ante messem pigra manu falcem suspendunt; cùm tamen, si paulillum durâssent, *venientes venissent, portantes manipulos suos.* (u)

O leviculi! *sic stulti estis, ut, cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* (x) Ut, postquam tantos labores

(q) Epist. 129. (r) Matth. 20. v. 12.
(s) 1. Cor. 9. v. 24. (t) Apoc. 12. v. 9.
(u) Psal. 125. v. 6. (x) Gal. 3. v. 3.

bores exantlastis, tam varia tamque dura passi estis, tot triumphos à multiplici hoste retulistis; nunc uno vel altero gradu à meta distantes, mentis mobilitate victi, turpiter succumbatis? Quis dementem hanc prioris-que lucri tam prodigam levitatem non deploret? imò quis non *incipiat illudere eis*, dicendo: *hi cœperunt ædificare, & non poterant consummare?* (y)

Itaque *Fratres mei dilecti* (Apostoli monitum est) præteritorum rubore suffusi, in concepto semel sanctioris vitæ proposito *stabiles estote & immobiles, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino.* (z) in electo virtutis stadio *sic currite, ut bravium comprehendatis;* (aa) in generosa, quam ingressi estis, pugnæ arena sic dimicate, ut inimicos debelletis; *non enim coronatur, nisi qui legitimè certaverit;* (bb) legitimè autem non certat, qui pugnando in acie non perseverat.

Pro-

(y) Luc. 14. v. 30. (z) 1. Cor. 15. v. 58.
(aa) 1. Cor. 9. v. 24. (bb) 2. Tim. 2. v. 5.

Proin *estote firmi in via Domini*, (cc) ac *in ejus disciplina perseverate.* (dd) *ne fatigemini animis vestris deficientes;* (ee) *ne perdatis, quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis.* (ff)

Sit itaque ô Pater sancte! *justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram; donec superest halitus in me, non recedam ab ea.* (gg) In perfectionis studio *ero fidelis usque ad mortem*, ut & mihi *detur corona vitæ.* (hh) Perseverantiæ decora, inconstantiæ dispendia geminum mihi incitamentum erunt, inita virtutis semitâ nunquam excedendi. *Confirma me Domine DEUS Israël, ut, quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.* (ii)

(cc) Eccli. 5. v. 12. (dd) Hebræ. 12. v. 7. (ee) Ibid. v. 3. (ff) 2. Joan. v. 8. (gg) Job. 27. v. 3. & seq. (hh) Apoc. 2. v. 10. (ii) Judith. 13. v. 7.

§. III.

§. III.

Inconstantiæ remedia.

UT conceptum in bono perseverandi propositum eò certiùs persistat inconcussum; suggerenda sunt quædam remedia, quibus innata mentibus nostris mobilitas veluti clavo figatur; asperitas verò illa & arduitas, quæ perfectionis callem adeò difficilem reddunt, vel tollatur omnino, vel saltem mitigetur. Horum autem præcipuè tria numerantur, nempe 1. incitamentorum suprà allatorum crebra consideratio. 2. cum DEO assidua communicatio. 3. difficultatum sagax provisio & efficax contemptus.

I. Primum ergo persuadendæ nobis constantiæ subsidium est crebra consideratio tum bonorum, queis perseverantes coronantur; tum malorum, queis inconstantes puniuntur; uti & illorum incitamentorum, quibus hucusque ad sectandam virtutem solidam Lectorem animavi. Nam (quod Philo-

I. *Allatorum hactenus incitamentorum crebra consideratio.*

Philoſophorum axioma eſt) per quæ quid creſcit, per eadem & conſervatur; adeoque per illas ipſas rationes, per quas ſanctitatis & perſeverantiæ deſiderium in animis noſtris hactenus fuit excitatum, per has, inquam, idem quoque foveri, ac nutriri oportet.

Cùm enim eorum movendi vis eundem ſemper vigorem retineat; cùm eadem hodie, quæ herì, virtutis amabilitas, excellentia ac utilitas ſit; cùm idem ſemper ſit DEUS, cujus majeſtatis infinitudo ac eminentiæ excelſitas eodem ſemper cultu & amore digniſſima ſit; hæc, inquam, cùm ita ſint, non poteſt non eorum frequens recordatio ac pia meditatio ſuccenſi fervoris flammas conſervare.

Præcipuè ſi inſuper attentiùs perpendantur exempla eorum, qui vel ob inconſtantiam perierunt, vel propter ſuam in bono ſtabilitatem ſanctitudinis lauream promeruerunt. Certè ſi Saulem, Judam, Origenem perſeve-

ſeverantia non deſtituiſſet, ille modò inter Sanctos Iſraëlis Reges, iſte duodecim inter Apoſtolos, hic divos inter Eccleſiæ Patres tanquam glorioſa primæ magnitudinis aſtra radiarent; qui modò, quia cœptam virtutis ſemitam leves transfugæ deſeruerunt, in reproborum maſſa abjecti deliteſcunt.

O quàm ſublimi in throno modò fulgeret ille prophera, quem DEUS ad Jeroboam in Bethel miſerat cum præcepto, *ne comederet panem, nec biberet aquam in loco iſto, nec reverteretur per viam, per quam venerat;* (a) ſi eadem, qua cœpit, animi firmitate impoſita ſibi mandata expleſſet. Nam initio nulla regis habita ratione audacter *exclamavit contra altare in ſermone Domini:* oblata ſibi ab eodem munera rejecit: regium, ad quod vocabatur, convivium recuſavit: omni cibo & potu diutiſſimè abſtinuit: etiam per aliam, ùt juſſus fuerat, viam ad ſuos rediit. O quàm præclara

(a) 3. Reg. 13. v. 9.

clara hæc primordia fuerant, quàm heroici actus, quàm obſervans Numinis religio!

At en! mobili levitate victus, omne hoc tam glorioſè inceptum corrupit opus; à falſo propheta reductus & ſeductus, contrà quàm vetuerat DEUS, *comedit panem in domo ejus, & bibit aquam;* quo facto prius omne meritum ita obliteravit, ut *tradiderit eum Dominus leoni, qui confregit eum, & occidit* in via. (b)

Contrà verò ô quantam ſibi laudem, quàm immortale nomen ſua in ſervandis legibus firmitate promeruit Eleazarus ille *unus de primoribus ſcribarum, qui ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam atque à puero optimæ converſationis actus recogitans, & glorioſam mortem magis quàm odibilem vitam complectens*, maluit *voluntariè ad ſupplicium ire, & duros corporis cruciatus ſuſtinere*, quàm *propter vitæ amorem illicita admittere*, & vel ſimulare, *ſe car-*

(b) 3. Reg. 13. v. 26.

carnem porcinam manducasse. Universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens. (c)

Hæc & alia ejusmodi præcipuè S. S. Martyrum aliorumque Christianæ legis Heroum exempla ad æmulandam eorum constantiam nos fortiter allicient, movebunt, & impellent. Generosa ejusmodi facta, si fideli memoria crebriùs recolantur, etiam nobis eandem in bono stabilitatem persuadebunt. Id quod propria ipsus experientia doceberis, si primo hoc remedio usus diligenter fueris.

II. *Assiduæ communicatio cum Numine Eucharistico.*

II. Alterum sanctæ hujus firmitatis acquirendæ adjumentum est assidua communicatio cum DEO præsertim Eucharistico tum per vota, pro perseverantiæ dono ei sæpius supplicando; tum per synaxin, eundem cordis hospitio frequentiùs excipiendo. Si enim *Elias in fortitudine cibi illius* (qui tamen divini hujus alimenti solùm

(c) 2. Mach. 6. v. 18. & seq.

lùm figura fuit) *quadraginta diebus & quadraginta noctibus ambulavit usque ad montem DEI Horeb;* (d) quantò magis hic panis fortium nobis robur & vires addet, queis animati, impigro molimine in perfectionis culmen eluctemur?

Et verò addet, ne dubitemus, & quidem vires non minùs uberes quàm efficaces addet. Ad præsentiam divinæ hujus Arcæ instabiles Jordanis aquæ mobilem cursum sistent, & muri firmitatem fluido nisu æmulabuntur. Eucharisticum ejusmodi cultorem nec indolis volubilitas, nec tentationum torrens, nec cupiditatum rapiditas à sacro proposito dimovebunt. *Stabit firmus super custodiam suam, & figet gradum super munitionem suam.* (e) Etiam ille cum regio Vate generosa voce exclamabit: *omnia possum in eo, qui me confortat.* (f)

Et revera cœlesti hoc nutrimento munitus, poterit vincere illam virtutis

(d) 3. Reg. 19. v. 8. (e) Habacuc 2. v. 1. (f) Phil. 4. v. 13.

tis ſolidæ arduitatem : poterit ſuperare illa amoris proprii blandimenta : poterit effugere illas mundi pedicas tartariqúe fraudes, ad quas velut ad ſcopulos alliſa mentis conſtantia hactenus naufraga perire conſuevit. Perſeverantia & fortitudo geminæ illi comites in via probitatis erunt, quæ ipſum usque ad æternitatis portum felici omine comitabuntur. Ex his autem adminiculi hujus efficacia luculenter elucet.

III. Tertium remedium conſiſtit in providentia quadam ſpiritali, qua partim ſagaciter provideamus, quid nos in exercitio piarum actionum inſtabiles reddere poſſit, aut ſoleat; partim ſolicitè curemus, ut animum contra ejusmodi obſtacula & levitatis illicia fortiter obarmemus. Duo autem præcipuè ſunt, quæ noſtram in DEI famulatu perſeverantiam difficilem reddere amant, nempe 1. *arduitas* operis, quod explere oportet; 2. *diuturnitas* temporis, per quod illud continuare neceſſe eſt.

III. *Difficultatum proviſio & contemptus.*

Prior hoſtis debellatur acri quadam magnanimitate, qua reluctanti naturæ vim inferendo omnes actionis moleſtias generoſi ſpernamus; eamque eò audaciores aggrediamur, quò pluribus illa aculeis hirſuta riget. Nam inimicum hunc audacter impetiiſſe, viciſſe: opus ejusmodi animoſè incepiſſe, finiiſſe: obſtacula hæc fortiter contempſiſſe, complanaſſe erit.

Proin præcipitata omni timida deliberatione ejusmodi negotium ocyus magno cum auſu auſpicemur; atque Samſonem æmulando, hunc *catulum leonis*, qui ficto rugitu timidos terret, mento apprehenſum proſternere, *dilacerare, & quaſi hædum in fruſta diſcerpere* ſtudeamus. Id ſi egerimus, etiam nobis *de comedente exibit cibus, ac de forti egredietur dulcedo;* (g) illudque promptum & facile reperiemus, quod priùs factu arduum nimis, ac impoſſibile videbatur.

Alte-

(g) Judic. 14. v. 5. & 6.

Alterum conſtantiæ obſtaculum, nempe enatum ex apprehenſa temporis *diuturnitate* tædium, ortumque inde virtutis faſtidium, hoc, inquam, impedimentum expeditiùs ſuperari nequit, quàm ſequentibus induſtriis. Inprimis neceſſe eſt, ut teipſum piè decipiendo, actionem illam ſolummodo ad unum vel alterum diem aut horam continuare decernas, & à ſecuturo tempore mentem abſtrahas. Magno levamini rerum peritis hæc ſolertia eſt.

Dein compara hanc, quæ adeò te exanimat, temporis longinquitatem cum illa præmii, quæ te exſpectat, perennitate; & omnis etiam longiſſima annorum periodus inſtar bullæ evaneſcet. Præterea quis certum te reddidit, ævum tuum ad canam ſenectutem productum iri? Forſitan mors vitæ tuæ filo minaci falce jam jam imminet. Fortè paucos intra menſes flebile funus eris. Ergo reſiduos ſaltem eosque tam breves & paucos dies virtuti conſecra.

Quodſi etiam quàm diutiſſimè adhuc te vivere contingeret, an non meretur DEUS, ut omnem, quem reſpiras, halitum ejusdem ſervitio dedices? O Superi! dum ſacro fonte abluebamur, ſolemni authoramento nos per patrinos obſtrinximus, ſupremo omnium Domino, quoad vita ſuperſtes fuerit, fidelem nos famulatum exhibituros. Quin illo ipſo temporis puncto, quo mentis uſum adepti ſumus, debitum Numini homagium per amoris actum præſtare debueramus.

Et en! prô dolor! vix rationis compotes peccare noveramus, cùm mox optimi heri rebelles ſervi jugum excuſſimus, & æquè turpi quàm nefaria deſertione eodem ferè momento nocentes, quo rationales effecti ſumus; atque poſtea nobiliorem ætatis florem nonniſi eidem offendendo impendimus.

An non igitur æquum eſt, ut ad reſtituendam, vel reparandam tot an-

norum

norum malè perditorum intercapedinem ſaltem quod ex iis reliquum eſt, ex integro devoveamus illi, cui totum, quantum eſt, vitæ noſtræ ſpatium tot titulis ex aſſe debetur. Cùmque ille omni ea, quæ præceſſit, æternitate nos dilexerit, nec citiùs ſe quàm nos amare inceperit; ac inſuper omni ea, quæ ſubſequetur, perpetuitate æterno amore complexurus ſit; an non brutæ ingratitudinis portentum foret, perfectiori ejusdem cultui modicum hoc, quo à morte diſtamus, temporis intervallum negare?

Exinde concludere fas eſt, quàm labili fundamento nitatur illud, quod à temporis diuturnitate mutuatur, terriculamentum; & quo nihilominus tot timidæ mentes à ſectanda virtute ſolida phantaſtico terrore abſterreri ſe ſinunt. Proin huic capiti finem impono illis S. Cypriani verbis: *hortamur vos per communem fidem, ut gloriam veſtram forti & perſeveranti virtute teneatis;* (h) & nec *operis arduitate*, nec *temporis diuturnitate* à per-

fectionis ſemita vos abduci ſinatis; utque allatis hiſce tribus remediis ſtabiliter utendo, ab inconſtantiæ labe vos immunes ſervetis.

CONCLUSIO
TERTIÆ PARTIS,

Ubi oſtenditur, eandem viæ unitivæ congruere.

TAndem aſpirante divino Flamine laboris portum ac unà viæ *unitivæ* terminum attigimus, qui conſiſtit in intima conjunctione cum DEO, quæ ſumma animæ beatitudo eſt. Quàm aptè enim tertia hæc pars humanam mentem cum ultimo Fine ſuo connectat, ipſa capitum argumenta abunde loquuntur. Nam per fidem dulci vinculo conjungimur primæ omnium Veritati, per ſpem potentiſſimæ Fidelitati, per charitatem amabiliſſimæ Bonitati, per deſiderium cœli perfectiſſimæ Felicitati, per jugem denique

que in bono perſeverantiam huic ſupernæ unioni beata coronis imponitur. Ex his patet, quàm congruo nexu hactenus diſputata tertiæ huic ſemitæ reſpondeant.

Quòd enim capite 2. de timore malorum à tepidis incurrendorum mentio ingeratur, id eidem adeò non obeſt, ut potiùs ſummè conducat. Nam mortis inquies, judicii rigor, pœnæ acerbitas non ita viæ ſolùm purgativæ propria ſunt, ut anima per ſublimiorem ſtatum gradiens, non etiam poſſit horum metu incitari ad quærendam perfectionem excelſiori ejusmodi calli congruentem. cùm ipſe S. P. N. Ignatius experientiſſimus ille aſceſeos Magiſter in ſecunda exercitiorum hebdomade nobis ejusmodi themata tanquam incitamenta adducat, ad ſanam electionem faciendam.

Ita ſanctitatis cupide Lector, per tres hujus operis partes tanquam per totidem vitæ ſpiritalis gradus conſtan-

ti pede ita progredere, ut amotis virtutis ſolidæ IMPEDIMENTIS, adhibitis ejus ſolidandæ SUBSIDIIS, ac perpenſis ſedulò illius ſectandæ INCITAMENTIS, tandem votorum compos per morum probitatem, probitatisque ſoliditatem æternùm uniaris illi, qui triplicis hujus viæ terminus, mei laboris ſcopus, ac omnium finis ultimus eſt.

FINIS

TERTIÆ PARTIS.

IN-

INDEX

Rerum memorabilium toto opere contentarum, de quibus in prioribus elenchis nulla fit mentio.

Nota: *Prior numerus denotat operis partem; posterior verò partis paginam.*

A.

ACtivitas seu præceps in operando modus est multùm noxius. - - - - *Part.* II. *Pag.* 176.
Industriæ eum moderandi. - II. - 177.
Actiones quotidianæ. vide Opera quotidiana.
Actus heroici utilitas. - III. - 115.
Æternitatis beatæ descriptio. III. - 363.
Agere, & pati magna pro DEO, signum genuinum est amoris DEI. III. - 299.

Am-

Ambitio eſt beſtia à Daniele viſa, - - - *Part.* I. *Pag.* 159.
Et à Nabuchodonoſore expreſſa. - - - I. - 161.
Amor qualis, amans talis. - III. - 285.
Amoris divini flabella. - III. - 265.
Ejus indicia ſunt quatuor nempe
1. Fuga peccati. - - III. - 286.
2. Puritas intentionis. - III. - 290.
3. Conformitas voluntatis noſtræ cum divina. - - III. - 294.
4. Grandium pro Dilecto rerum operatio. - - III. - 299.
Amoris ſolidi typus S. Paulus. - - - III. - 287.
Amoris proprii 1. proprietates & technæ, - - III. - 322. 328.
2. Præjudicia & damna. - III. - 325.
Ejus indicia ſunt pariter quatuor, videlicet
1. Lapſuum frequentia. - III. - 305.
2. Intentionis corruptio. - III. - 309.
3. Diſcrepantia voluntatis noſtræ à Divina. - - III. - 313.
4. Enervis ad bonum torpor. - - - III. - 319.

Amor

Amor ſui eſt cauſa 1. omnis peccati, - - *Part.* III. *Pag.* 305.
2. Horrendæ cæcitatis animi. - - - III. - 307.
3. Incantat rationem. - III. - 52. & 55.
Illo infectus nec eſt bonus Chriſtianus, nec bonus civis. - III. - 326.
Item 1. non videt, quod eſt: & 2. videt, quod non eſt. - III. - 307.
Angelorum cuſtodia magnum beneficium. - - III. - 253.
Animæ ſolidè piæ 1. nobilitas. 2. divitiæ. - - III. - 133.
Item 1. illius fiducia. 2. æquanimitas. 3. fortitudo. - III. - 142. 145. & 147.
Ab ea exulant gemini omnis tranquillitatis hoſtes nempe 1. voluntas propria, 2. amor proprius. - III. - 135.
Apoſtoli niſi evaſiſſent ſancti, fuiſſent reprobi. - - III. - 89.

B.

BEatis ingenti ſolatio erit
1. Præteritorum dulcis recordatio. - - III. - 344.
2. Numinis intuitiva cognitio. - - - III. - 347. & 349.

3. Ejus

3. Ejus per amorem perfecta possessio. - - *Part.* III. *Pag.* 351.
Eorum felicitatem 1. neque minuit Electorum copia, - III. - 355.
2. Nec gloriæ differentia. - III. - 356.
Beati fruentur ea ipsa quoad substantiam beatitudine, qua DEUS; - - - III. - 352.
Et quidem cum certitudine de ejus æterna duratione. - III. - 366.
Erunt *semper pleni*, *& semper avidi*; 1. pleni sine fastidio: 2. avidi sine tædio. - - III. - 357.
Soli illi erunt in memoria æterna. - - III. - 363.
Beatitudo cœlestis credi potest, capi non potest. - III. - 334. & 338.
Civitas in Apocalaypsi descripta, it. convivium Assueri sunt rudis illius figura. - III. - 336. & 335.
Æternam fore constat 1. ex triplici ratione, - - III. - 360.
2. Ex DEI id affirmantis authoritate. - - III. - 361.
Beatitudinem æstimare nos docet 1. dœmon suo effato: - III. - 399. & 400.
2. Christus suo exemplo. - III. - 402.

Illius

Illius memoria omnes lenit labores. - - *Part.* III. *Pag.* 378.
Beatitudinis hujus eſt ſummus apud mortales neglectus. - III. - 369. 375. 380. & 390.
Illius jacturam ob nihilum ridendo faciunt. - - III. - 380.
Omnis pro illa ſubeundus labor nimius videtur. - III. - 390.
Plus agitur pro mundo quàm cœlo. - - III. - ibid.
Exantlandæ pro cœlo ærumnæ 1. in terris ſunt minus nihilo: 2. in cœlis ſunt ſummo ſolatio. - - III. - 398. 401.
Solâ illuc viâ crucis pervenitur. - - III. - 402.

C.

CHriſtus magiſter & exemplar virtutis. - III. - 18. & 238.
Ejus exemplum potens virtutis illicium. - - III. - 239.
Ejus crux eſt 1. patientiæ cathedra. 2. ſalutis teſſera. - III. - 172. & 174.
Chriſti ſumma fuit 1. paupertas. - - - III. - 268.

2. De-

2. Demissio. - *Part.* III. *Pag.* 18. & 270.
3. Tolerantia. - - III. - 271.
4. Constantia. - - III. - 413.
Cœlum. vide Beati. Beatitudo.
Collectio seu solitudo mentis est custos & mater virtutum. - II. - 124. 159.
Scaturigo quatuor excellentium gratiarum. - - II. - 129.
Cœlum terrestre. - II. - 132.
Collectio indit fortitudinem: pellit timorem. - - II. - 133.
Alia ejus encomia. - II. - 136.
Comedere ob solam voluptatem est veniale. - - I. - 251.
Confessionis facilitate induci ad peccandum, temerarium est. - III. - 381.
Conformitas voluntatis nostræ cum divina in quo consistat? - III. - 294.
Est divini amoris indicium. - - - III. - 295.
Ejus lapis Lydius. - III. - 297.
Conscientia in judicio præcipuus erit actor & testis. - III. - 78.
Constantiæ in bono exempla. - - - III. - 415. 416. 431. & seq.
Cor integrum DEO dandum. - - - III. - 278.

Cu-

Cubiculi cuſtodia. 1. ejus commoda: - - *Part.* II. *Pag.* 120. & 124.
2. Ejus neglectæ damna. - II. - 156.
Curioſitas vitanda. - II. - 166.

D.

DAnielis Prophetæ orandi ſtudium. - - II. - 77.
Decretorum divinorum circa quosdam ordo. - - III. - 85.
Deſperatio perfectionis repugnat 1. veritati, 2. experientiæ, 3. gratiæ. - - I. - 186. III. - 193. 198. 201. 206. 320.
DEUS ubique præſens eſt. - II. - 116.
DEUS ſuas nobis perfectiones impendit. - - III. - 258.
Ejus erga nos amor. - III. - 262. 265.
Ejus pulchritudo. - III. - 348.
Diſſipati hominis deſcriptio, miſeria, pericula. - II. - 138. & ſeq.
Summa ejus ad omnia inutilitas. - - - - II. - 148.
Triplex ejus pœna, nempe 1. graves tentationes, 2. variæ vexationes, 3. atrox purgatorium. - - - II. - 151.

Ejus difficultas redeundi ad cor. -
- - *Part.* II. *Pag.* 141. 146.
Dœmonis in tentando aſtus. - I. - 190.

E.

EUchariſtiæ præcipuus fructus eſt conjunctio animæ cum DEO. -
- - II. - 277.
Ante ejus ſumptionem obſervanda.
- - II. - 281.
Chriſti Eucharistici ſumma in nos beneficentia. - III. - 274.
Examinis particularis 1. uſus eſt antiquiſſimus, - II. - 284. 312.
2. Efficacia ſumma. - II. - 285. 313.
Duplex hujus efficaciæ cauſa. -
- - II. - 288.
Eſt magnum acquirendæ ſanctitatis compendium. - - II. - 296.
Examinis hujus uſu impugnandus eſt defectus
1. Solùm unicus, - II. - 288. 305.
2. Magis noxius, - II. - 300. 302.
3. Et quidem diutius. - II. - 305.
De eo neglecto gravis olim ratio reddenda. - - II. - 313.

Exem-

Exempli vis est magna. - *Part.* III. *Pag.* 232. 239.
Exemplum Christi potens virtutis illicium. - - III. - 18. 239. 243.
Exempla mundanorum Religiosos confundunt. - - III. - 232.

F.

Fides fundamentum perfectionis. - - - III. - 3.
Practica sit oportet. - III. - 26. 62.
Fidei & morum contradictio. - - - III. - 28. 38.
Fides nostra in judicio contra nos testem aget & actorem. - III. - 78. 242. 244. & 246.
Cur veritates speculativas promptiùs credamus quàm practicas? - - - III. - 50. & seq.

G.

GArrulitatis 1. damna, - II. - 156.
2. Remedia. - II. - 167.
Gratia Christi naturæ feritatem cicurem reddit. - - III. - 201.
Ejus subtrahendæ causæ. - III. - 47.

Gratiæ motus 1. dignoſcendi regulæ, - - *Part.* I. *Pag.* 139.
2. Sequendi incitamenta. - I. - 147.
Gula, ſeu comedere ob ſolam voluptatem eſt noxa venialis. - I. - 251.

I.

INconſtantia virtutis viam aſperat. - - - III. - 421.
Ejus obtinendæ vires minuit. - - - III. - 423.
Salutis ſpem dubiam reddit. - - - III. - 420. 424.
Inconſtantium dementia. - - - - III. - 426. 427.
Exempla. - III. - 419. 430. & ſeq.
Inobedientia punita. - I. - 163.
Intellectûs noſtri tenebræ. - III. - 45. 52.
Intentio qualis eſſe debeat? - III. - 290.
Ejus lapis Lydius. - III. - 291. 311.
Ejus obtinendæ media. - III. - 312.
Ejus puritas eſt index amoris divini. - - III. - 290.
Intentionis pravæ 1. damna, 2. ſigna. - - III. - 309. & ſeq.
Jonas affectionis dominantis typus. - - - I. - 163. 172.

Ju-

Judicium erit terribile 1. ob Judicis omniscii inexorabilem justitiam, 2. ob peccatorum perfectissimam anatomen, 3. ob irreparabilem gratiarum & temporis jacturam. - - - *Part.* III. *Pag.* 70. 71. 77. 114.
Judicii rigorem præsagiunt varia Scripturæ loca. - III. - 65.
Illud etiam Sancti metuunt. - - - III. - 68.
Ibi ipsæ virtutes vitiosæ apparebunt. - - III. - 73.
Ejus rigorem tria potissimùm aggravabunt 1. fides, 2. conscientia, 3. collata à DEO beneficia. - - - III. - 78. 81.
Justus judicii timorem mitigat S. Paginæ effatis. - - III. - 182.
Vide Moribundus.

L.

LAbores pro cœlo exantlandi sunt leviores iis, qui pro mundo tolerantur. - - III. - 190. 388.
Lingua. loquendum 1. piè, 2. circumspectè, 3. tardè. - III. - 169. 170. 171.

Nec loquendum 1. plus, 2. nec priùs, 3. nec diutius, quàm par est. - - *Part.* III. *Pag.* 168.

M.

MAndatorum obſervantia eſt primarium divini amoris ſignum. - - - III. - 286.
Eadem quoque facilis eſt. - III. - 386.
Meditatio. Vide Oratio.
Moribundo Juſto dulce eſt meminiſſe 1. laborum, quos exantlavit: 2. ærumnarum, quas toleravit: 3. diſcriminum, quæ ſuperavit. - - - III. - 152. 154. 156.
Moribundi Juſti mira in morte ſecuritas. - - III. - 162. 168.
Lætus præſentia deſerit. - III. - 166.
Futurum judicium non adeò metuit. - - III. - 182. & ſeq.
Is purgatorii metum lenit 1. Eccleſiæ indulgentiis, 2. Piorum ſuffragiis, 3. Chriſti meritis. - III. - 186.
Moribundi tepidi ſenſa 1. ſub mortem, 2. in judicio, 3. in purgatorio. - II. - 16. 22. 26.

Mors

Mors Justo est in votis; 1. quia est finis miseriarum, 2. terminus peccatorum, 3. initium beatæ æternitatis. - *Part.* III. *Pag.* 178. & seq.
Mortificatio. gaudia sensibus non negantur, sed solummodo differuntur. - - III. - 395.
Moyses ob venialem nævum terra promissa exclusus. - - I. - 45.
Mundi jugum gravius est jugo Christi. - - III. - 217.

N.

NAturæ feritas Christi gratia cicuratur. - - III. - 201.
Negotiorum multitudo vitanda. - - - II. - 122. 173.

O.

ODium sui suadent plura incitamenta. - - III. - 329.
Operum quotidianorum perfectio est 1. brevissima, 2. Facillima, 3. certissima ad perfectionem via. - - - II. - 14. 22.
Ea erunt præcipua judicii particularis materia. - II. - 21.

Ut ſint meritoria, requiritur 1. ut ſint bona: 2. ut fiant bene. - - - *Part.* II. *Pag.* 29.
Orationis encomia. - II. - 63. 79.
Ejus ſumma eſt neceſſitas 1. ad alios convertendos: 2. ad vincendas tentationes: 3. ad perſeverandum in vocatione religioſa. - - - II. - 50. 56. 58.
Orationi qualis præmittenda ſit præparatio? - - II. - 86. 96.
Obſervanda 1. in exercitio intellectûs, - II. - 87. 98. 101.
2. Voluntatis. - II. - 89. 104. 106.
Propoſiti dotes. - II. - 91.
De examine meditationi ſubjungendo. - - II. - 105.
Orationis aſſiduitas in Daniele & Suario elucens. - - II. - 77.

P.

PArtitionem cordis horret, & punit DEUS. - - III. - 278.
Paſſio dominans graviſſimorum malorum eſt cauſa. - III. - 54.
Ejus expugnatio eſt 1. valde glorioſa, 2. & meritoria. - I. - 180.

Paſ-

Paſſionum humanarum definitio & diviſio. - *Part.* I. *Pag.* 169.
Iis cor humanum velut mare æſtuat. - - - I. - 181.
Vinci, & domari poſſunt. - I. - 187.
Earum radices evellendæ. - I. - 195.
Pati, & agere pro DEO nota amoris DEI. - - III. - 299.
Patientiæ exempla. - III. - 40. 402.
Pauli firma ſalutis ſpes cui fundamento fuerit nixa? - III. - 409.
Peccare ob confeſſionis facilitatem, temerarium eſt. - III. - 381.
Peccata expiamus 1. per doloris actus, 2. indulgentias, 3. opera luſtralia. - - - III. - 112.
Perſeverantia ſola coronatur. - - - - III. - 416.
Pilatus ex reſpectu humano Chriſtum ad mortem damnat. - I. - 217.
Præſentiæ DEI exercitium in quo conſiſtat? - - II. - 183.
Ejus præſtantia. - II. - 184.
Illius practicandi incitamenta, & ſubſidia. - II. - 185. 188.
Monita in ejus praxi obſervanda. - - - - II. - 193.

Præsentiæ hujus memoria
1. Est antidotum contra peccata: - - *Part.* II. *Pag*- 117.
2. Clypeus contra tentationes: - - II. - 118.
3. Schola sanctitatis: - II. - 124.
4. Asylum quietis, ac internæ pacis. - - II. - 120. & seq.
Ejus neglectæ damna. - II. - 158.
Providentia DEI circa nos ex S. S. Paginis probatur. - III. - 140.
Purgatorii atrocitas. - I. 56.
Ejus metum Justus sub mortem lenit
1. Ecclesiæ indulgentiis, 2. Sanctorum suffragiis, 3. Christi meritis. - - III. - 186.

R.

REspectûs humani indicia. - I. - 242.
Is Christum in crucem egit. - - I. - 217.

S.

SAcerdotum quanta debeat esse 1. puritas - II. - 237. 275.
2. Charitas seu fervor. - II. - 239.

Sacer-

Sacerdotem tepidum manet 1. rigidum judicium, 2. grave ſupplicium. - - - *Part.* II. *Pag.* 242.
Sacerdotum litationem deproperantium improbitas. - II. - 263.
Sacrificium miſſæ eſt actio præſtantiſſima; 1. quia habet vim infinitam omnia impetrandi. 2. quia per illud defertur cultus DEO condignus. 3. quia ibi patrantur miracula, natura & numero prorſus ſtupenda. 4. quia eſt viva imago violentæ mortis Chriſti. - II. - 231. & ſeq.
Remedia procurandæ ſub eo attentionis. - II. - 252.
Fomenta excitandi ſub eo fervoris. - - II. 254. 258.
Silentii neglecti damna. - - - II. - 156. & ſeq.
Ejus ſervandi modus. - II. - 167.
Solicitudinis inordinatæ damna. - - - II. - 179.
Ejus excutiendæ remedia. - II. - 181.
Solitudo eſt cuſtos & mater virtutum. - - II. - 124. 159.
Eſt ſcaturigo quatuor excellentium gratiarum. - - II. - 129.

Eſt

Eſt cœlum terreſtre. - *Part.* II. *Pag.* 132.
Ejus exempla. - - II. - 161.
Somnolentia, ſeu ſocordia in manè ſurgendo 1. vitiat orationem: 2. inducit teporem: 3. impedit gratias. - I. - 258. & ſeq.
Suarii aſſiduitas in oratione, - II. - 77.
Solatium in morte. - III. - 169.

T.

TEmperamentum non obeſt virtuti. - - III. - 197.
Sæpe prodeſt. - III. - 203. & ſeq.
Ejus figura ſunt quatuor animalia Ezechieli oſtenſa. - III. - 197.
Tepidorum axiomata in vita. - I. - 102.
Eorum ſenſa in morte, judicio, purgatorio. - II. - 16. 22. 26.
Tepor quid ſit? - I. - 98.
Ejus damna. - - II. - 64.
Teporis remedia ſunt 1. fervens meditatio, - I. - 103. 104.
2. Spiritualis lectio, 3. mentis collectio. I. - 106. 114.
Thereſiæ damnationis periculum, ni vitaviſſet veniale. - I. - 41.

To-

Totum vult DEUS, aut nihil. - - - *Part.* III. *Pag.* 277.
Tutiora sunt eligenda. - III. - 102.

V.

VEnialium peccatorum 1. fœditas, - - I. - 36. 37.
2. Pœna in hoc adhuc mundo. - - - I. - 53. & seq.
Venialis nævi odium quale esse conveniat? - - I. - 63.
Quænam venialia præ aliis sint vitanda? - - I. - 66.
Victoria suiipsius quantæ utilitatis sit? - - III. - 116.
Virtutis encomia. - III. - 6. & seq.
Pretium. - III. - 15. 25. 34.
Summa ejus præ naturæ dotibus excellentia. - III. - 13. 31.
Ejus neglectus quàm indigna res sit? - - III. - 34. 190.
Ejus Magister & exemplar Christus. - - III. - 18.
Virtuti deditorum præ tepidis in cœlo eminentia. - - III. - 9.

Vir-

Virtutis via non adeò difficilis, -
- - *Part.* III. *Pag.* 213. 215.
Etiam sæcularibus personis. -
- - III. - 211. 209.
Imò facilior est, quàm semita temporis. - - III. - 217.
Ejus desperatio quàm noxia sit? -
- - I. - 186. III. - 41. 193. 198.
201. 206. 320.
Voluntatis propriæ 1. malitia, -
- - III. - 313. & seq.
2. Pœna, 3. indicia. - -
- - III. - 316. & 317.

ERRATA.
PARTIS TERTIÆ.

Pag. 9.	*lin.* 10.	alium	*lege*	aliud.
— 69.	— 20.	exame	—	examen.
— 88.	— 3.	ſubſtra-ctis	—	ſubtra-ctis.
—109.	— 17.	judicare-mus	—	judicare-mur.
—173.	— 2.	tenius	—	tenuis.
—175.	— 14.	illi	—	illis.
—247.	— 15.	verticem	—	verticem.
—297.	— 3.	excipas	—	excipias.
—432.	— 7.	vetuerar	—	vetuerat.



Th
3280